



1. M  
2. M  
3. M  
4. M  
5. er  
6. er  
7. er  
8. er  
9. er  
10. er  
11. er  
12. er

DISSE<sup>TA</sup>R<sup>O</sup>I<sup>O</sup> INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**PHTHISI PULMONALI**  
QUAM  
CONSENSU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS <sup>III. M. C. C. L. X. V.</sup> IN MÉDICINA HONORES  
ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME OBTINENDI  
DIE XXVII. OCTOBRIS MDCCCLXXXV.  
SOLENNITER DEFENDET  
**CAROL. RUDOLPH. MŒLLENTHIEL**  
MEISENHEMIO - BIPONT.  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZ, UNIV. TYPOGR.

PIETATIS ET MERCATORIAE  
DE  
PITHIÆ POMONIANI  
GÖTTSCHE  
CONSENSU  
GRATIOSÆ TACITUS MEDICE  
IN AEMILIA  
AMICIS  
ALT SACRUM.  
SCHILLER  
PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME OBTINENDI  
DIE XXII OCTOBRII MCCCLXXXV  
SOLEMNITER DEFENSIT  
GEORGI RUDOLPHI MOLLIENTHEI  
MICHAELE MOLLIENTHEI  
ALLEGATORIA  
THEODORI GEMINI HENS, VEN. TUTTO



## PROOEMIUM.

**E**tsi innumeri sint morbi, qui ceu totidem hostes genus humanum infestant, sunt tamen alii, præ aliis, cum majori periculo conjuncti, omnibus vitæ conditi- nibus atque ætatis communes, & curatu difficiliores. Inter hos caput extollit Phthisis pulmonalis, morbus gravissimus, frequentissimus a), in variis terrarum regionibus fæviens, nulli ætati, nulli vitæ generi parcens, a diversissima causa ortum trahens, atque curatu difficillimus. Hinc etiam non a plebe solummodo, sed et a non paucis Medicis, maximo cum ægrotantium damno, pro mor-

---

a) FOURNIER tertiam partem humani generis phthisica & heclica morte perire contendit. Vid. ej. *Observ. sur la nature, les causes, & le traitement de la fièvre hecique.* Dijon 1781. Tiguri sextum quemque mortuorum phthisicum fuisse relatum habemus. Vid. SCHINTZ *Diff. de Stanni usu.* Tig. 1770. Duos fere trientes hominum qui morbis sic dictis chronicis jugulantur, Phthisi perire, affirmat KLEINIUS in *Interprete clinico*, Ed. cum Praef. HALLERI 1771. p. 231.

A

bo plane incurabili habetur. Cum jam in eo versarer, ut de conscribendo specimine publico, cuius ope mihi ad consequendos honores doctorales via pateret, mecum cogitarem, pluraque quæ huic usui infervire possent themata animo obversarentur, substi tandem in hoc morbo. Accipe, benevole Lector! has studiorum primitias benigno vultu, atque judicium de iis fer benevolum, effati hippocratici non immemor: *Vita brevis, ars longa.*

### §. I.

Pulmo-  
num de-  
scriptio.

Qui in ossea partim, ex dorsi vertebris costis & ster-  
no; partim carnea, e diaphragmate & intercostalibus  
musculis facta cavitate thoracis, cordi, nobilissimo vi-  
sceri, utrinque adjacet pulmo, vicino suo nobilitate ne-  
quaquam cedit. Hoc nomine in corpore humano ve-  
niunt duæ spongiosæ, ex rubello & cinerito colore va-  
riegatæ, magnæ massæ, ita in utroque thoracis latere si-  
tæ, ut una dextrum, altera sinistrum latus teneat. Per  
intermedium septum, quod Mediaustum audit, a se in-  
vicem & a corde separantur. Sepimentum hoc prove-  
nit ab interna thoracem vestiente membrana, Pleura ni-  
mirum. Proprio suo uterque pulmo, membrana pleuri-  
tæ, sacco inclusus, & undique ab eo circumdatus est;  
superius vero per tubum, aspera arteria nominatum,  
communicant, indeque pendulæ, & animalis bisulci cal-  
cibus similes cohærent pulmones. Illa hujus visceris pars,  
quæ in dextra ampliorique thoracis cavea custodita ja-  
cet, pulmo dexter salutatur, hic altero capaciор la-  
tiorque existit, & fere semper ex tribus lobis componi-  
tur; sinistrum arctiusque latus occupans portio, pulmo  
sinister audit, hic e duobus, quandoque etiam ex tribus  
lobis constat, & quamvis dextro angustior, eodem ta-  
men longior, ut pote a lienis vertice vix repulsus, exi-

stit. Ratione figuræ pulmones versus costas convexi, interna superficie concavi, & eo magis, si irruente aëre extenduntur, ita ut cor molli amplexu ambiant, & complectantur; basis inferior lata septo transverso incubbit, interjacente puta membrana pleuritica; superius autem coni instar truncati obtuse terminantur.

## §. II.

Tota pulmonum substantia ex variæ naturæ vasis conflatur. Extantiora aërea sunt. Horum supra ipsos pulmones pectorisque cavum, in collo, a larynge & aspera arteria origo est petenda. Larynx f. aspera arteriæ caput & initium, ad anteriora colli & pharyngis collocatur, & cartilaginibus, thyreoidea f. scutiformi, cricoidea f. annulari, duabus arytaenoideis, epiglottide, aliisque minoribus in membrana nerveo-tendinea, interiorem laryngis partem tegente, sedem habentibus, componitur. Epiglottis seu operculum aut mobilis super aperturam laryngis, quam glottidem vocant, pons, extra deglutitionis tempus semper elevata, liberum aëri aditum redditumque ad pulmones concedit. Tum ab ima laryngis parte, ante cesophagum, cartilagineo-membranaceus canalis, per inferiora colli in pectus usque, inter secedentes pleuræ membranas continuatur, hic trachea f. arteria aspera appellatur. Flexilis hic, cellulosa tela exterius, tenuissimaque membrana interius ubique cinctus, plurimis glandulis confitus, & ob mucosam, quæ ex his glandulis per excretorios ductus in cavum ipsius perpetuo exsudat, lympham, lubricus & madidus tubus, pone aortæ arcum, circa quartam thoracis vertebram, in duos, dextrum breviorem, & sinistrum longiorem, conicos, truncocæteroqui similes ramos finditur, qui pulmonum lobos ingredientes, & in illorum substantia in infinitos ramos divisi, bronchiorum nomine veniunt.

Substan-  
tia pulmo-  
num.

## §. III.

Vesiculæ Majores bronchiorum rami habent cartilaginea seg-  
pulmona- menta, interpositis fibris muscularibus; subtiliores autem  
les. nonnisi membranosa structura sunt prædicti, & ultimis  
suis ramificationibus in vesiculos pulmonales desinunt.  
Vesiculæ hæ, ab ultimis bronchiorum propaginibus ex-  
ortæ, ex cellulis membranaceis exiguis, varia figura præ-  
ditis, constant, quæ sibi invicem ramulis racemorum in-  
star adhærent, ita ut facile ex uno asperæ arteriæ ramo  
in plurimas vesiculos & rursus ex his in illam aditus de-  
tur. Inflata enim trachea, omnes hæ vesiculæ expandun-  
tur, ramo autem tracheæ tantum inflato, eæ solummo-  
do vesiculæ, quæ ex hoc prodeunt, expansionem admit-  
tunt, & cæteræ flaccidæ manent.

## §. IV.

Pulmo- Aëreorum horum vasorum apparatus insigni sanguineum vasa neorum etiam vasorum, itidem ad pulmonum substantiam  
fanguife- concurrentium, comitatu stipatur. Hæc vasa sanguifera  
ra. sunt duplicis generis; propria, quæ pulmonum nutritio-  
ni solummodo inserviunt. & communia, quæ universa-  
lem sanguinis per totum corpus circulationem adjuvant.  
Ab arteriis bronchialibus ex aorta descendente orientibus,  
pulmonum nutritioni sanguis allatus impenditur, & re-  
siduum partim in venas pulmonales transit, partim a venis  
bronchialibus, venæ fine pari atque intercostali sinistræ  
superiori advehitur. Arteria pulmonalis, ex dextro s.  
anteriori cordis ventriculo oriens atque ramis suis in utro-  
que pulmone ad bronchiorum latus incedens; ultimis suis  
propaginibus, cum venis exiliissimis anastomoses nectenti-  
bus, sic dictas vesiculos aëreas amplectitur. Ex his san-  
guis in venas pulmonales, alterum bronchiorum latus

claudentes, defertur, quæ in quatuor truncos collectæ refluxum ex pulmonibus sanguinem sinui venoso sinistræque cordis auriculæ atque ventriculo invehunt; & sic sanguinis circulus minor peragitur.

### §. V.

Non solum vero sanguine irrigari pulmonum viscus, vasa lymphatica pulmonum & glandulae.  
sed & sero lymphatico coque latice, imo subtilissimo nervo rore perfundi, notandum est. Ex pulmonibus enim æque ac bronchialibus sanguiferis arteriis laterales ubique, anteriori diametro, serosas lymphaticasque arteriolas, tenuiori hinc subtiliorique liquori solummodo aditum concedentes, exire, quis est qui ignorat? Harum vero lymphaticarum arteriolarum pars maxima, per exhalantes ductus, eorumque oscula, in vesicularum bronchialium, bronchiorumque cavum patere, tenuissimumque rorem perpetuo huc immittere solet, quo, internam harum partium superficiem madefaciendo, siccitas & concretio earumdem præcaveatur, parietesque contra acres irritantesque particulas muniantur. Attamen etiam notandum, aliquam lymphaticarum arteriarum partem in externam pulmonum superficiem hiare, inter illam atque pleuram vaporē suum emittere, & ita impedire, ne cum hac membrana pulmones coalescant. Ne autem hic vapor lymphaticus aërea vasa aut thoracis cavum inundet, vel cum aëre e pulmonibus, sub nomine pulmonalis transpirationis, efflatur, quæ hyeme, quando frigore vapores condensantur, sub halitus forma sensibilis fit; vel ab osculis bibulis, in internam atque externam pulmonum superficiem patulis, absorbetur, in venulas lymphaticas fertur, quarum plures confluendo, lympham a nutritione superfluam fecum vehendo ex externa tandem pulmo-

num superficie emergunt, ad ductum thoracicum migrant,  
eique lympham suam tradunt.

## §. VI.

Nervi pul-  
monum.

Nervi pulmonum partim a pari vago scilicet sympathetico medio, ab ipsiusque nervo recurrente, partim a nervo intercostali scil. sympathetico magno proveniunt, reliqua vas aequa ac ipsa bronchia comitantur, eorumque membranis nectentibus & investientibus, vesculis denique largissime prospiciunt & multis in locis intexuntur. Pulmonarem tandem plexum, inter origines vasorum pulmonalium, ad latera cordis, praecipue conspicuum efficiunt, ac sensum, robur, motum ac vim contractilem magnum in modum huic visceri foenerant.

## §. VII.

Pulmo-  
num usus.

Magnos esse fines, quos pulmonum officio obtinet  
re voluit natura, docent multa: insignis nempe magnitudo; pars cordis dimidia ipsis dicata; totius massæ sanguinis per eosdem circulatio; mira denique fabrica vesicularis aëri pervia, eaque adeo tenera & delicata.

Docuit porro frequens observatio, quodvis fere pulmonis vitium sequi corporis insignem enervationem & contabescentiam, uti & functionum corporis pariter ac animæ languorem, idque frequentius saltem ac citius, quam in aliis visceris morbo.

Hæc evincere videntur, citra istas symbolas, quas pulmones ad vocem, cantum, loquaciam, suctionem, respirationis alternum negotium, serotæ partis sanguinis exhalationem, ejus circulationem, perfectionem, depurationem atque refrigerationem conferunt, si quid hic loci valet humanum judicium, superesse aliud & nobilius quidem pulmonum negotium. Hanc sententiam non lou-

ge a vero aberrare puto: nempe tempore exspirationis, citra alios bene notos fines exhale superfluum quid & excrementium quasi b); sub inspiratione autem resorberi ex aere ambiente subtiliorem quandam partem. Qualis haec sit, non constat satis. Illi qui fidem & applausum dant opinioni, quam cel. PRIESTLEY fovet, expelli scilicet sub exspiratione superfluum phlogiston, locum forsan concedent novae hypothesi, hauriri sub inspiracione aereum dephlogisticatum, eumque pro pabulo vitæ inservire c).

### S. VIII.

Nobilissimum & ad vitam summe necessarium viscus, in præc. §§. descriptum, quocunque vitio affectum, totum corpus haud raro eodem sidere trahit, serius ocyus-  
ve tabem s. marasmum infert: oritur sic morbus, circa quem nostra dissertatio versatur, Phthisis nempe pulmo-  
nalis. Est itaque Phthisis pulmonalis totius corporis con-  
sumptio cum febre lenta, ex vitio pulmonum topico ori-  
ginem sumens. Definitionem nostram morbo nostro con-  
venientem esse, probant ea, quæ ab aliis auctoribus de  
illo fuere prolata. Unicum hic allegare nobis sit satis:  
ARETÆUS jam dixit d). „ Si quis enim vel plebeius homi-  
„ nem videret pallentem, imbecillum, tussientem macie  
„ confectum, hunc vera Phthœ laborare pronunciaret. „

b) MOSCATI phlogiston, quod sanguini inest, pulmonibus exhalari putat. V. ej. *Beobacht. und Versuche über das Blut &c. übersetzt von KOESTLIN* Stuttg. 1780. S. 51.

c) Morbi & putridi & maligni, a vieti & non renovati aëris vitio producti hanc opinionem nobis persuadere videntur.

d) V. FARR *Aphorism. de Marasmo.* Altenb. 1774. p. 12.

## §. IX.

Observata Sed & Sectiones cadaverum Phthisi pulmonali defun-  
in cadave- riorum docuere, semper vitium in pulmonibus adfuisse.  
ribus Pulmones enim Phthisi demortuorum fere semper plus  
Phthisi de minusve circumiacentibus partibus accreti inveniuntur.  
fuctorum Modo solus dexter pulmo affectus est, aut sinister dun-  
xat e), modo totum viscus pure exesum vel tuberculis  
obstructum. Quandoque unicus solummodo lobulus ul-  
cere corrosus; quandoque autem ulcus serpendo totam  
substantiam unius lobi inficit atque corrosit; & haud ra-  
ro utrique lobi ulceribus obseSSI atque exesi animadver-  
tur. Hæc ulcera modo vomicas, ita ut pus in membra-  
na quadam contentum sit, modo ulcera aperta, per tu-  
bercula suppurantia efformata, fistunt. Ast saepe plane  
nullum ulcus oculis non armatis patet, etiam si toti pul-  
mones purulenta materie, aut proluvie ichorosa f), plus  
vel minus foetida, quam non, nisi pressi, spongiæ ad  
instar, dimittunt, repleti conspiciuntur. Cl. MURRAY  
*ex pleno sanguinis rivo pus illud redundare, dixit g).* Hoc  
quandoque ita fieri, & quidem dum pus in alia qualicun-  
que corporis parte formatum atque collectum h) resorbe-  
tur,

e) Vid. cl. STOLL *rat. med. P. I.* pag. 201 & seq.

f) Vid. HUXHAM *Op. ed. Reich. Tom. I. p. 167.* & BRENDELII  
*Diff. de tabescientibus ad nares ducenda fluxione p. 5.* quo in  
loco afferit in phthisicorum cadaveribus se saepe nil nisi profusam  
per pulmonum substantiam proluviem ichorosam, spumosam, sub-  
cruentam deprehendisse.

g) V. ejus *Diff. de puris absque prægressa inflammatione origine,*  
denuo recusa & inserta in libro cui titulus J. ANDR. MURRAY &c.  
*Opuscula, in quibus commentationes varias tam medicas &c.*  
Vol. I. Goetting. 1785.

h) RAULIN afferit, se sputa purulenta apud ægrotos observasse,  
quæ ab ulceribus partes genitales obsidentibus proveniebant, illæ-  
sis

tur, & cum massa humorum ad pulmones delatum, ibi-  
demque ex glandulis separatur, certissimum est; neque  
minus certum, aliis & frequentioribus in casibus, glandu-  
las bronchiales ipsas suppuratione affectas esse i). Hæc  
in cadaveribus eorum, qui Phthisi pulmonali purulenta  
decubuerunt, conspicuntur.

Sed in illorum, qui Phthisi pulmonali sicca labora-  
vere, cadaveribus, inveniuntur pulmones tuberculis  
scirrhosis, strumosis, steatomatosis, polyposis, gypsea  
aut alia quacunque k), plus vel minus solida, materia re-  
fertis, obsecsti atque obstruci. Attamen raro tubercula  
cruda sola sunt, sed frequentius suppurantibus mixta l).

---

sis pulmonibus, in ejus *Traité de la Phthisie pulmonaire* p. 32.  
& MUZEL in *Medicin. und Chirurgisch. Wahrnehm. zweyte Samml.* p. 6. testatur, se ex ulcere uteri, cui obstetricis cujus-  
dam in secundinis extrahendis imperitia anfam dedit, jam sexto  
die sputa purulenta & quidem copiose prodeuntia animadvertisse.

i) Consentientem habemus cl. RAULIN in opere citato p. 11 & 17.  
aliisque in locis.

k) WILLIS invenit pulmones ab ulcere quovis immunes, sed tu-  
berculis aut lapidibus, aut materia fabulosa, per totum consitos.  
V. ejus *Pharm. rat. Tom. II. Scđ. I. Cap. VI.* p. 87. & DU-  
PRÉ DE LISLE testatur, se pluries tubercula ex materia caseo si-  
mili in pulmonibus phthisicorum, post mortem, invenisse, in suo  
*Traité des maladies de la Poitrine &c. p. 110.* conf. quoque  
VOGEL *Prælect. de cogn. & cur. præcip. C. H. afféctibus* part.  
II. ed. Laufan. 1781. p. 226. 229. & seq.

l) Vid. MORGAGNI libr. de sedibus & causis morborum per  
Anatomen indag. Ep. 22. Sic in *Aclis Medicor. Edinb.* quadrien-  
nis puer fistitur, qui convaluisse perfecte ex incipiente Phthisi vi-  
sus fuit, post mortem vero convulsionibus acceleratam, pulmones  
exhibuit tuberculis fcantes, quorum quædam crassam materiam  
instar casei recentis, alia pus tenuerunt. V. *Medical Es-  
says Tom. II. p. 298.* Quibuscum etiam MEADII, in *Monitis &  
Præcept. med. Scđ. IO. p. 27.* ed. Lips. 1759. & PRINGLII ob-  
serua-

Pulmones denique illorum, qui Phthisi pituitosa, ante mortem illatam, fuere afflitti, nimis flacci *m*), & magna pituitæ copia redundantes, alias fani *n*) sectione cadaverum fuere reperti.

## §. X.

Species  
phthiseos  
pulmonalis

Ratione originis in *idiopathicam*, quæ primario, nec ex alio quoconque morbo fuit suscitata, cuiusmodi hæreditaria atque contagiosa est; & in *symptomaticam*, alio morbo generatam, huncque morbum tanquam symptoma comitantem, dividitur. Si vero morbus, a quo phthisis pulmonalis ortum suum traxit, plane cessavit, tunc metapto-

servationes convenient; ultimus enim in cadaveribus a se disseccatis phthisi pulmonali mortuorum, pulmones tuberculæ & ulceribus plenos se reperiſſe testatur. V. *Diseases of the army* 1764. p. 169. BARRERIUS refert de milite macilento & febre lenta decumbente, qui post sputorum tenacium ejectionem fudoresque molestos tandem succubuit. In hujus pulmonibus magna tuberculorum copia apparuit, diversæ magnitudinis & duritie; quædam discissa emiserunt materiam gypſo limilem. V. ejus *observation. atom.* p. 124. seq. Cl. RAULIN l. c. P. I. Cap. III.

*m*) Cl. MACBRIDE comparavit pulmones hominum ejus vi mortuorum, tam quoad tactum, quam aspectum cum pasta molli, adeo scilicet mutatam in hisce fuisse præ laxitate structuram. Vid. ejus *Method. Introduction to the theory and practice of Physic.* p. 390.

*n*) In MORGAGNI l. c. *Epiſt. cit. art. 28.* refertur, Valsalvam in Forocornelienſum Epifcopo Zanio, cui pulmones vitiati credebantur, quia multis expectoraverat humores, ex bronchiorum glandulis prolectos integrissimos eosdem offendisse. Sic BENNETTUS in *Theatr. tabid. hist. ad Cap. 23.* p. 69. hominem fistulam, qui per longum tempus sputum subdulce summe emaciatus ejecerat, in cuius pulmone præter laxitatem notabilem nihil alieni visum fuit. Confer quoque de HAEN. *Rat. medend. Tom. I.* p. 86. seq. *Tom. II.* p. 12. *Tom. IX.* p. 65. & CAS. MEDICUS *Beobacht. aus der Arzneykunde I Band* p. 315.

sis hæcce *Phthisis consecutiva* nuncupatur. Ratione materiae, quæ exspuitur Phthisis est vel pituitosa, vel tubercularis s. sicca, vel purulenta s. exulcerata. In prima specie exscreatur quovis die insignis muci falsi, dulcis, insipidi, viscidi, neque malum odorem spargentis copia o). In secunda specie vel plane nihil, vel materiae polyposæ, gypseæ p), lardaceæ, cartilagineæ quædam frustula, longos dirissimosque post nisus ejiciuntur. Sputa purulenta q) denotant speciem phthiseos exulceratæ. Duæ priores species haud raro in ultimam abeunt, antequam ægroti diem obeunt.

Adhuc aliam divisionem morbus noster admittit, quæ a suis causis occasionalibus desumitur. Hoc respectu datur *Phthisis venerea*; *scrophulosa*; *scorbutica*; *hæreditaria*;

B 2

o) MURRAY l. c. p. 286. & HUXHAM *de Aere & Morbis epid.* in Op. Ed. REICH. Tom. I. p. 197.

p) DUPRÉ DE LISLE l. c. p. 112.

q) Difficilius quam vulgo creditur pus a pituita crassiori distinguitur. Fallax enim sputorum cum aqua experimentum esse, præsertim si aquæ non additur certa quantitas falsi, adnotarunt RAULIN in oper. cit. p. 29. seq. aliquie. Si quid enim muci spumosi adhæret puri, non sublidit illud in aqua, sed supernat. Non majoris valoris est signum a foetore sputi in carbonem candentem injecti petitus, qui de pituitosa non potest non pariter valere. RAULIN l. c. p. 31. Necesse itaque est, sputis affundere spiritum vitrioli acidum, qui mucum facilius quam pus dissolvit, & ex quo pus, affusa aqua sub forma sedimenti, fundum vasis petentis, præcipitatur; mucus autem separatur ex acido vitrioli per affusam aquam sub forma flororum, in liquore natantium. Criterium quoque solutio falsi alcalini caustici potest prebere in qua mucus æque ac pus dissolvitur, sed ex qua ultimum per affusam aquam iterum separari, mucus autem non, experientia docuit. Ill. DARWIN primus est horum experimentorum cum solutionibus inventor, quæ certissime differentiam monstrant muci a pure, Vid. ej. *Experiments establishing a criterion, between mucinous and purulent matter.* Lichfield 1780.

contagiosa; Phthisis ex hæmoptysi; ex suppressione hæmorragiarum consuetarum; ex metastasi humoris acris in pulmone; Phthisis post peripneumoniam; post metastasis lactis, & adhuc aliæ species.

## §. XI.

Discrimen inter Phthisis, obstruētis glandulis mesentericis, chylo hinc imfin pulmo-perviis, corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus nalem & si miles mor-decedentibus, nullis vero in eorum locum fubeuntibus, summa macies oritur. Adeat enim quoque in hoc morbo tussis, quamvis minus crebra; respiratio etiam diffi-cilis observatur, simul ac febris lenta, & versus morbi fi-nem sudores atque diarrhoea colliquativa. Simillimus est hic morbus Phthisi pulmonali siccæ f. tuberculari, atque saepe huic speciei Phthiseos sese associat r). Postu-lat quoque eadem medicamenta.

A phthisi ex debilitate, quo tabes dorsalis; vermi-nosa; ex diabete; a fluore albo &c. pertinent, distingui-tur pulmonalis Phthisis, cognitione antecedentium cau-sarum, absentia symptomatum, læsionem pulmonum in-dicantium, & praesentia illorum, quæ morbos, quos comitantur, & ex quibus producuntur, manifestant. Di-stinguitur porro a catarrho senili, humoroso, chrono-co, absentia febris; a febre hectica tussis & sputorum ab-sentia, nam febris hectica est ea tabis species, quæ preter malum corporis habitum summam maciem inducit, at citra tussim atque puris exstretionem s).

r) MORGAGNI l. c. Ep. 22. art. 19.

s) VOGEL Praelect. de cogn. & cur. præc. C. H. affectibus part. secund. §. 643.

Facile tandem distinguitur a Phthisi nervosa, quæ post morbos diurnos neglectos, præsertim post perpetuum mœrorem, ab atonia solidoruī, absque labo aliquis visceris, oritur, & *nunquam cum febre lenta, tussi & dyspnæa stipata incedit, sed prostratis confessim ventriculi & cœdionum viribus, corpus imbellē ac indivulsum fere a lēculo, crebrisque animi deliquiis obnoxium, a tumente externo habitu œdematoſo ad extremum marcorem deducit* t).

Cum aliis pulmonum morbis haud facile Phthisis pulmonalis poterit confundi, si sequentia attente perpenduntur.

### §. XII.

Signa diagnostica, in qualibet *Phthiseos pulmonalis* specie, & in quoconque morbi stadio, præsentia sunt: morbi, *tussis crebra; febris lenta, sensim sensimque in hecticam abiens; atque partium musculofarum contabescentia. His accedunt in exulcerata sputa puriformia, purulenta, sanguinolenta, plus vel minus male olentia; & in Phthisi pituitosa, mucosa, viscida, larga in copia screatu ejecta. At non semper sputa in priori animadvertisuntur; nam haud raro, secundo defuncti cadavere, hominem clandestino ulcere pulmonum, de quo nulla durante, vita, suspicio fuit, correptum fuisse observatum est u).*

Cum vero symptomata quædam in incipiente morbo nondum adsint, serius supervenientia; quædam autem in hac specie *Phthiseos* diversa ab illis in alia specie occurrentibus observentur, atque indicationes curatoriæ incipientis morbi aliæ quam inveterati sint, hinc non abs

B 3

*a) VOGEL* I. c. §. 641.

*u) CL. MURRAY* II. c. p. 277.

re fore existimamus, symptomata, quibus stipatus esse solet, paulo altius rimari.

### §. XIII.

Divisio cuiusvis morbi, certum quandam ordinem tenentis, in certa stadia, determinata per phænomena in sensus cadentia, absolute necessaria est ad facilem cognitionem morbi. Liceat itaque nobis, præeuntibus DES LONGROIS *v)* & RAULIN *w)* morbum nostrum tria in stadia dispertiri.

Primum  
morbi sta-  
dium.

Sympto-  
mata inci-  
pientis  
morbi.

Morbus plerumque cum tussi sicca incipit; quæ a tuberculis crudis, vel ab acri quoconque, pulmones irritante, producitur; & quacum, morbo magis progresso, quædam puriformia exscreantur. Molestiam atque dolorem obtusum haud raro in pectore sentiunt ægri, præsertim si morbus ab erosionibus vasorum, per catarrhodem vel per aliam qualitercumque acrem materiam, fuit productus. Respiratio adeo difficilis, præcipue post pastum, quoties nova alimentorum moles sanguinem subit; vel post quemlibet motum, quem æger ambulando, sermocinando, scandendo instituit. De sapore falso in ore & appetitu prostrato conqueruntur ægri. Morosi & ad iram sunt proni *x)*. Vexantur febricula, quæ aliquando alternis diebus, præsertim vesperi, gravior animadvertitur; quo tempore manuum volæ urente calore, atque ægroti ipsi siti afficiuntur. Pulsus hoc in stadio parvus, mollis, debilis, & frequens invenitur. Si vero tuber-

*v)* In libro, cui titulus: *De la Pulmonie, de ses causes &c.* par Mr. JEANNE DES LONGROIS IIIeme Ed. 1783.

*w)* I. c. *Parte prima, cap. tert.*

*x)* Conf. TRNKA DE KRZOWITZ *histor. febris hæticeæ.* Vind. 1783.  
p. 30.

cula, quibus pulmones obsidentur, in suppurationem  
abeunt, oritur levis quedam febris inflammatoria, pul-  
sus itaque duriusculus reperitur.

In phthisi pulmonali post hæmoptysin a causa exter- Secundum  
na, stadium morbi primum, modo descriptum, non morbi sta-  
animadvertisit, sed secundum statim incipit, ita ut eadem dium,  
symptomata, quæ in secundo stadio tuberculosæ in puru- Sympto-  
lentam abeuntis observantur, jam ab initio ad sint. Pulsus mata mor-  
nempe parvus, durus atque frequens; cutis squalida, bi confir-  
stramineo colore, qualis observatur illorum, qui per mati.  
pulverem multum toto die in sole calido fecerunt iter;  
febris, hucusque intermittentium aliquo modo typum te-  
nens, ad remittentium naturam nunc accedit. Exacer-  
bationes, ex dyspnoea, ex pulsu fortiore, ex urente ca-  
lore volæ manus & pedis plantæ, atque ex colore gena-  
rum roseo, fuci instar conspicuo, facile dignoscendas,  
experiuntur post cibum & vespertino tempore ægri. At-  
tamen observantur quavis diei hora hæ exacerbations  
post quamlibet exæstuationem. Corpus ægroti & præ-  
cipue pars ejus superior extenuatur, atque sudoribus,  
matutinum versus tempus ortis, debilitantur ægri. Al-  
vus initio siccior, liquidior redditur. Tussis fit crebrior;  
pus aut mucus puriformis, haud raro magna in copia, ex-  
freatur, præsertim vespertino & matutino tempore. De  
dyspnoea atque de dolore punctorio in latere, & de sup-  
pressione sputorum, prægressa quavis levi exæstuatione,  
conqueruntur ægri.

In tertio stadio, quod stadium colliquationis appel- Tertium  
latur, vires magis magisque debilitantur, ita ut incessus stadium,  
fere impossibilis fiat; sudore colliquante totam per no. Sympto-  
tem diffluunt ægri; sputa purulenta, copiosiora, gra- mata mor-  
veolentia, sanguineis striis mixta, quandoque ad stupen- bi incur-  
bilis.

dam copiam y), ejiciuntur. Febris lenta, nunc hectica, bis in die, matutino & vespertino tempore, exacerbatur. Cuticula splendens, pinguedinosa, super urina natans cernitur. Respiratio evadit difficillima, tussis irrequieta, suffocationis periculum inducens. Partium musculosorum tonus atque humiditas in totum disperit. Oculi intra orbitam se recondunt. Pedes oedematoſo tumore distenduntur. Buccarum tenuia dentibus inhærent, & ridentibus assimilantur. Ungues manuum fiunt adunci. Doloribus per sternum & costas errabundis excruciantur ægri, atque pediculis hand raro vexantur. Extremarum partium & totius cuticulæ observatur porrigo, simul ac frigus. Vox fit rauca. Aphthæ fauces obsident. Alvus valde foetens, tenesmo stipata, frequentissime deponitur. Capilli, suo nutrimento destituti, decidunt. Ultimis diebus supprimuntur sputa; deglutitio atque decubitus in dorso fiunt perdifficiles; palpebras nequeunt attollere, perinde affecti semper, ut qui dormituriunt; lipothymiae superveniunt; moritur tandem æger, meliora fata expectans.

#### §. XIV.

Causa morbi proxima. Causam proximam Phthiseos pulmonalis in vitio pulmonum topico querendam esse, ex superioribus patet. Exulceratio in purulenta; obſtructio in tuberculari, ſicca; exundatio pituitosa, propter dejectum partium ſolidarum tonum, vel propter fluidorum acrem indolem, quo

y) CHALMERS account of the weather and diseases of south-Carolina, Lond. 1776. Vol. II. p. 130. Ill. JÆGERI Dif. Phthisis pulmonalis, caſu notabiliori & epicrisi illustrata. P. II. Tubingæ 1772. p. 72. ELVERT Dif. inaugral. binas obſervat. anatomico-prædicasſiens. Tubing. 1780. defenſa. Obſerv. IIda.

quo glandulæ bronchiales ad majorem muci secretionem  
fuere irritatæ, in Phthisi pituitosa illam constituunt.

Alii ultimam hanc phthiseos pulmonalis speciem,  
præeunte de SAUVAGES <sup>z)</sup> sub tabis genus collocant; alii  
duce v. SWIETEN <sup>a)</sup> eandem ad atrophiam & marasimum  
referunt. Adhuc alii malum hocce cum MORTON <sup>b)</sup> &  
BENNET <sup>c)</sup> pro primo stadio Phthiseos pulmonalis ulce-  
roſæ habent. Ast cum ſæpe, antequam vitium purulentum  
per epigenesin vel metaptoſin priori ſuperveniat, unice ex  
colluvie ferofa pulmonum fabricam inundante, atque ex  
dispendio nutritii humoris, qui una cum muco ſub diu-  
turna & copioſa hujus excretionē e corpore eliminatur,  
corpus emarcescat, contabescat, mortique tradatur, hinc  
cum FRACASTORIO <sup>d)</sup>, SEVERINO <sup>e)</sup>, MERCURIALI <sup>f)</sup>,  
aliisque qui eorum preſeruent vestigia, morbum hunc  
Phthisin, & quidem cum illuſtrissimo MURRAY <sup>g)</sup> pitui-  
tosam ſalutamus, atque pro vera ſpecie Phthiseos pulmo-  
nalis habemus. Contradicentibus nobis forſan, & ad-  
ſtruentibus ſtatum huncce morbosum veram atque genui-  
nam Phthiseos pulmonalis ſpeciem non elle, ſed potius  
catarrhum ſenilem vel chronicum denominandum eſſe,  
pro ratione allegantibus, ſedem præcipuam valetudinis

<sup>z)</sup> *Nefologia methodica* Edit. Amfelodami 1768. in 4to Tom. II.  
p. 450. ubi tabes catarrhalis audit.

<sup>a)</sup> *Comment.* Tom. IV. p. 57. Edit. Taurin 1764.

<sup>b)</sup> *Phthiſiolog.* Libr. II. Cap. I. verſus finem.

<sup>c)</sup> *Theatr. tabidorum.* p. 100.

<sup>d)</sup> *Oper. P. I.* Libr. II. Cap. IX. p. 169.

<sup>e)</sup> *De recond. abſcēſſ. natura.* p. 269.

<sup>f)</sup> *Consult. & resp. med.* Tom. II. N. 43.

<sup>g)</sup> *Programma de Phthisi pituitosa.* Göttingæ 1776. nunc de-  
novo recuſum & iſertum *Opusculorum ej. Vol. primo.* Götting,  
1785.

hujus in glandulis bronchialibus positam esse, assentire non possumus. Considerent, quæso, numne in Phthisi tuberculosa s. sicca glandula pulmonum quoque, & quidem solæ sint affectæ. Reperiuntur enim, dissectis cadaveribus, materia plus vel minus solida, cretacea vel gypsea refertæ, ut S. IX huj. Diff. jam dictum fuit. Concretiones hæ lœdunt, obstruendo atque premendo pulmonum fabricam & functiones, ut, reliquorum viscerum & potissimum eorum quæ chylificationi natura destinavit, functionibus inde destructis, corpori tabem atque mortem inferant.

Nostram sententiam de Phthisi pituitosa videntur FARR h) & BURNET i) tueri: prior dum interrogat: „an non irritatio fibrarum vasculorum pulmonis minimorum major quam justa, proxima phthiseos pulmonalis causa existit“ alter vero cum GALENO k) dicens: „Phthiseos causa est præter vitiosam pulmonum constitutionem, tum acris & salsa e capite destillatio, tum etiam humor acer a vicinis partibus &c.“ Et cel. HUXHAM l) ita: Non omnis utique tabes pulmonaria ab ulcere pendet (rarior enim est hic casus, quam vulgo putatur) plures enim quotidie per longum tempus immensam muci salvi, dulcis, vel etiam planè insipidi copiam per tussim rejiciunt, cui nec foetor inest, nec purulenti aliquid, glandulis nimirum cum ductibus aperiat arteriæ relaxatis nimium. Hoc tamen sœpe, licet ægros diutius trahens, haud lethale minus fit, quam si vel ipsam saniem expuissent.“

h) Aphorismi de Marasmo Edit. Altenburgi 1774. p. 44. seq.  
i) Apud FARR l. c. p. 51. seq.

k) Comment. in Libr. I. Epid. Ed. Chart. Tom. IX. p. 23.  
l) Opera physico medica. conf. quoque cl. SELLE Medicina clinica, zweyte Ausgabe 1783. p. 314. & CULLEN Anfangsgr. der Arzneywissenschaft. §. 816.

## §. XV.

Quamvis autem causa proxima morbi detecta sit, Causæ re-  
inde non semper remotæ iunotescunt, quarum tamen motæ.  
destructio ad curationem summopere nec flaria, alias pro-  
xima, ex illarum serie orta, nullo modo vere annihila-  
retur. Hinc operæ pretium me facturum esse puto, si  
has altius indagavero.

Quod pars quo debilior, eo facilius morbo afficiatur, Prædispo-  
nulla nempe congestione, nisi ad loca debiliora & minus nentescau-  
resistentia, succedente, quis est, qui neget? Hinc fabri-  
cam pulmonum ipsam inter prædisponentes causas po- Debilitas  
nendam esse, nobis saltem videtur. Ast si hoc viscus, pulmonum  
ex labè hæreditaria vel prægressis aliis morbis m), flacci- Labes hæ-  
ritaria, dum est atque atonia laborat, periculum imminentis  
phthiseos pulmonalis, accedente causa occasionali, ad-  
huc majus esse, facile est intellectu.

Alia causa prædisponens latet in debilitate reliquo- Debilitas  
rum viscerum, chyli elaborationi dicatorum, qua effici- viscerum  
tur, ut liquores, in hisce organis secreti, ab indole natu- chylopoie-  
rali degenerent, & chylus producatur crudus, viscidus, viscidus,  
partibus plus justo terrestribus scatens, que pulmones ob- ticornum.  
struendo tubercula creant, tuberculofam Phthiseos spe-  
ciem formantia; aut si in suppurationem abeunt, exul-  
ceratam producentia.

Inter causas proëgumenas morbi nostri non infimum Prava tho-  
locum tenet prava thoracis conformatio, sive congenita, racis con-  
sive adscititia; qua pulmones in exercendis suis functionibus formatio.

C 2

m) Sic dispositionem ad Phthisin pulm. contrahunt, quia catarrho suffocativo evaserunt, simul ac illi infantes, qui tussi convul- siva longum per tempus excruciantur.

impediuntur: Accumulantur hac ex causa haud raro in substantia ipsius humores, qui temporis tractu, ocyus vel se-  
rius, sive per diætesin sive per anaëtomosin ex vasis, quibus  
continebantur, viam sibi querentes, hæmoptoën, absces-  
sus, ulcera, atque Phthisin pulmonalem producunt.

Plethora. Porro plethora ad morbum nostrum quoque dispo-  
nit; sanguis enim, accidente causa occasionali, in spon-  
giolum & valde tenerum viscus magno impetu irruens  
vasorum anaëtomosibus aut lateribus vim infert, & hæ-  
moptysin producit. Ast post male tractatam vel negle-  
ctam sanguinis ex pulmonibus spuitionem Phthisin pul-  
monalem oriri, quis est qui ignorat? Attamen certo cer-  
tius hoc accidet, si sanguis alia quacunque acrimonia con-  
taminatus est <sup>n)</sup>; quippe hoc modo agglutinatio late-  
rum vulneris, vulnerisque fanatio difficilior, immo &  
impossibilis. Sanguis enim labo quadam acri infectus,  
etiamsi neque copia peccet, neque causa occasionalis acce-  
dat, per se vasa erodendo viam quandoque sibi pandit,  
hæmoptysin creat, atque Phthisin pulmonalem accersit.

Ætas inter  
XVI &  
XXXVI  
annum.

Denique & ætas, quæ inter decimum sextum atque  
trigesimum sextum annum intercedit, unanimi obser-  
vatorum consensu <sup>o)</sup> corpora nostro morbo obnoxia  
redit: quia hoc in stadio vitæ, liquidis impulsis vasa  
cedere recusant, humores autem copia augmentur, variis-  
que ex causis impetu majore moti vasis pulmonalibus fa-  
cillime vim inferre possunt.

<sup>n)</sup> Cl. LORRY *Tract. de morb. cutan.* Paris 1777. p. 27.

<sup>o)</sup> HIPPOCRATES *Aphor.* 9. *Secl. 5.* CELSUS *de re medica Libr.*  
*II. Cap. I.* p. 47. SENNERTUS *Praef. med. Libr. II. P. II.*  
*Cap. XII.* p. 203. HEURNIUS *de morbis pecloris* p. 139. BOER-  
MAAVE *Aphor. de cognosc. & curand. morb.* §. 1198. DES  
LONGROIS *L. c.* p. 13.

## §. XVI.

Causarum occasionalium præcipuæ hæ sunt.

- I. Frigus, aestuanti corpori admissum, quod vasa sanguifera in corporis peripheria constringendo, sanguinem simul ac materiem perspirationis versus interiora repellit, pressa, quæ minus resistentem partem, naturali lege, petentes, pulmones majori quam in statu naturali copia atque impetu ingrediuntur *p*), viscus hocce vel obstruunt vel irritant, tussi, inflammationi, hæmoptysi, atque pedissequæ ejus phthisi pulmonali ansam præbent.
- II. Prava illa, præfertim feminino sexui usitata, abdomen valentius comprimendi ac ligandi consuetudo, quæ sanguinis regularem in illo circulum turbat, & impedit, quod fit, ut minus resistentia loca quærens, pulmones petat, vasis eorum sanguiferis vim inferat, hæmoptysin atque Phthoën gignat *q*). Simili vero modo vita sedentaria diu continuata, præfertim illa, quacum pressio aut abdominis aut pectoris conjuncta, quemadmodum acutipientes operi incumbunt regulis quadratis inclusa, ob eundem sanguinis retardatum circuitum morbum nostrum sæpiissime generat.

Causæ occ  
asionales  
Transpi  
ratio sup  
pressa.

Pressio ab  
dominis &  
thoracis.

C 3

- 
- p*) TH. SYDENHAM *oper. medic.* Edit. in 4to Genev. 1769. Tom. I. p. 527. plerumque Phthiſin inde oriri existimat, quod tussi, ex frigore hiemali contracta, ingens pituitæ crudæ copia ad pulmones convertatur &c. CELSUS *lib. 4. Cap. 4.*
- q*) SPIEGELIUS *de humano corporis fabrica Lib. I. Cap. IX. p. 19. ita: Ineptum etiam est, & ultra fidem perniciustum, illud studium, quod fere omnes virgines adhibent, ut junee videantur, toris & mortifero artificio peccus in angustias cogentes, ignorare se, angustando thoracem, januam tabi marco-riique aperire.*

Suppressio III. Maxime autem huic morbo patrocinantur vel ex parte cohibitæ vel in totum suppressæ hæmorrhagiæ naturales, mēnsium, lochiorum atque hæmorrhoidum fluxus. Sanguis enim ex partibus, ex quibus hæmorrhagiæ hæ contingunt, exire nesciens, pulmones petit, præfertim si præ reliquis corporis partibus atonia laborant. Denique & sanguinis missiones consuetæ, nunc omisæ, eodem quo antea dictum fuit modo, sua ad phthiseos pulmonalis generationem conferunt.

Neglecta  
venæfæ-  
ctio.

Efflore IV. Humores acres, qui, corporis superficiem occupantes, cutaneos fecerunt morbos, dum inconsulto, su perimpositis adstringentibus, exsiccantibus, tractantur *r*), haud raro metastatice in pulmones veniunt *s*), tenerum hocce viscus tussi afficiunt, & glandulas bronchiales ad majorem secretionem humoris stimulando, Phthisin pituitofam *t*), aut vasa pulmonum erodendo, hæmoptoënam atque purulentam phthiseos speciem producunt.

Virus aut  
venereum  
aut scro-  
phulosum.

*r*) Post herpetes aliaque, ulcera spontanea per se, non arte exsiccata, phthisin etiam haud raro sequi, legitur in cl. MARCARD medici- nischen Beobachtungen 2 Th. p. 157. conf. quoque POUPART Tr. des Dartres p. 94. seq. Edit. 1784.

*s*) Virus herpeticum relicta cute, pulmones laceſſere, adnotavit cl. LORRY in libro, cui titulus. De præcipuis morborum mutationibus & conversionibus 1784. p. 188. & p. 354. ita: „Certe humorem inimicum in hisce malis natura in cutem atque ejus cellulas expulit. Immo si ars præpostera, aut formæ cupidæ induſtria, intus repellat, jam nulla superest ulli visceri securitas, funefisque toties exemplo, aut Phthisis pulmonalis, aut mesentericarum glandularum obſtruſio superveniunt.“

*t*) Cl. MURRAY l. c. p. 291.

glandulis tubercula, in suppurationem fere semper abeuntia, generant u).

VI. Alia causa Phthiseos pulmonalis nascituræ est quærenda in Peripneumonia, quæ resolvi non potuit; inflammatio tunc pulmones tenens in suppurationem abit, pus autem generatum, ni per sputa totum quantum eliminetur, aut ad alia corporis loca per metastasis deferratur, accumulatur, acre fit, & ulcere pulmones despicit.

Peripneumonia  
prægressa.

VII. Heterogenea, quæ simul cum aëre, inspirationis Inspiratio tempore, in pulmones, sive pulveris sub forma  $\nu$ , vel acuum sive sub forma vaporis veniunt, aut tussim excitando, vasaque rumpendo, erodendo, aut tubercula creando, Phthisin conciliare possunt. Id quod potissimum chemicis, metalli fusoribus, statuariis, gypsariis, molitoribus familiare.

vel pulve-  
rulentos-  
rum.

VIII. Variæ circa contagiosam morbi nostri naturam Conta- inter auctores occurunt sententiae  $w$ ). Sunt, qui gium. contendunt, Phthisin plane nullum secum ferre miaf-

u) Recte MORTON in *Phthiostolog. L. 3. Cap. I.* animadvertis: mirum non esse, si scrophulosis, quibus tumoribus glandulosis in aliis partibus frequenter obnoxii sunt, non raro etiam ejusmodi tuberculis vel in ipsis pulmonibus afficiantur: quin etiam Phthiseos scrophulosis certissimum signum diagnosticum fundendum esse a tumoribus glandulosis in externo habitu corporis eam comitantibus. Cui assentit immortalis MORGAGNUS in oper. cit. Epist. 22. art. 19.

v) Hac ex ratione cibrare triticum labor pulmonibus inimicus audit apud MORGAGNUM Epist. 21. art. 34.

w) Cf. METZGER sententiam suam de non contagiosa morbi nostri natura, quam antea proponnabat, experientia edoctus, mutavit. Vid. ej. vermischte med. Schriften III Band p. 41. Exempla, contagium phthisicum probantia leguntur in libro cui titulus: *Der philosophische Arzt IV St. p. 76. 77.*

ma x). Sunt alii, qui miasmatis vim atque ferociam nimis extollunt. Etiam hic medianam viam tutissimam esse persuasi sumus. Experientia enim nos edocuit, quod & pituitosa morbi nostri species & tuberculosa plane expertes sint contagii, quamdui in purulentam speciem nondum abierint. Exulcerata quoque species, primis in suis stadiis periculo vacat; ast tertia in periodo, in stadio colliquationis, quo sputa, transpiratio, & alvus foetorem manifestum, haud raro intolerabilem, spargunt, miasma comitem habet, & corpori in eadem atmosphæra, putridis exhalationibus foeta, moranti, communicari potest y). Hoc certo certius accidet, si prædispositio quædam in corpore jam adest fano z), & quidem si quis uno eodem que

x) LUIGI FRANCESCO CASTELLANI Prof. Mant. in singulari statu, qui 1773. prodit, affirmabat, Phthisin pulmonalem nec esse contagiosam, nec esse posse. Negat quoque contagiosam ejus naturam Ant. COCHI in *Discorsi Toscani Tom. II. n. 9.*

y) Præter multos alias, qui contagium phthisticum agnoscunt, licet aliquos allegare. GALENUS jam monuit: *Periculofsum esse confusere his, qui tabe tenentur, atque in totum cum omnibus, qui putridum adeo exspirant, ut domicilia in quibus decubunt, graviter oleant;* de Febribus L. 1. Cap. 3. Ed. Chart. Tom. VII. p. 108. TULPIUS in olſerv. med. Libr. II. Cap. XI. de Phthisi demortuo ita: *Deterruit a fectione factor tabidus: noxius forte non minus Medicis, quam ipsis consanguineis.* Apud V. SWIETEN Comm. ad §. 1206. Ed. cit. Tom. IV. p. 72 legitur: *certe juvenis ille phthisticus, cuius modo mentionem feci, infecit fôrorem & ancillam, quæ ipsi in morbo assidue ministraverant.*

z) MORGAGNUS in Op. cit. Ep. 22. art. 3. ita: *Valsalva posteaquam juvenis in Phthisis periculum venit, ut in ejus scriptum est vita, cadavera istiusmodi morbis absumentorum minus quæstivit. Ego vero, ut me tibi aperiam, illa fugi de industria adolescens, & fugio vel senex, tunc ut mihi, nunc ut studiosæ, quæ me circumstat, juventuti prospiciam.*

que lecto vel iisdem utitur vestibus cum ægroto, aut, matrimonii vinculis ei obstrictus, coitum hoc tempore, quod quidem nefas esset, celebraret.

### §. XVII.

Multæ præterea adhuc aliæ causæ, licet morbum nostrum immediate producere non possint, plurimum tamen, ad illum gignendum conferunt, & magis adhuc jam præsentem exasperant. Hoc certissime de fordibus gastricis valet, simul ac de aëre, qui nimis calidus sanguinem vasaque expandendo; si humidus a), fibras pulmonales laxando; si levis contra, minori quam pars requiritur in humores & vasa pressione, morbum nostrum exasperat. Subitæ porro tempestatum vicissitudines b), sanguinis circuitum turbando, fibrasque ob summam tensionem & statim insequentem relaxationem, vel vice versa, debilitando, morbo nostro ansam præbent. Idem Graviditas accedit per graviditatem, quo tempore uterus expansus, sanguinis per abdomen circuitum retardat, quo facto sanguis tunc, ob causam jam sæpius allatam, pulmones Cibi & poteris iter suum dirigit, & vario modo hoc viscus lædit. Pariter quoque sua conferunt, cibi & potus nimia eorum quantitas c), vel nociva qualitas d). Per illam diaphra-

Aëris vi-  
ta-tia.  
Cibi & po-  
tus abusus,  
vel nociva  
eorum  
qualitas.

a) On remarque, inquit DES LONGROIS L. c. p. 41. que les pays froids & humides favorisent le développement de la Pulmonie, & apud HIPPOCRATEM Aph. 10. Sect. III. legitur: Autumnum tabidis malum esse.

b) Hac ex ratione occurrit in Anglia morbus noster frequentissime. V. *Medecine domestique* par BUCHAN trad. par DUPLANIL T. II. p. 113.

c) Cl. HAHNEMAN in libro cui titulus: *Anleitung alte Schäden und Geschwüre gründlich zu heilen &c.* Leipzig. 1784. p. 17. ita: wie viel überflüssige und übelgewählte Nahrungsmittel,

zur

gmatis motum & consequenter respirationis negotium impediti, quis negabit? per hanc autem, si nimis sunt calidi & exastuantes, humores commovendo; ac si acri monia peccant, irritando hæmoptysin & pedissequam suam Phthisin adferre possunt.

Motus corporis vehementior, inprimis pulmonum, ut illorum est, qui instrumenta musica inflando, concionando, vocem modulando, aliaque ratione illos valde exercent; quo etiam pertinet emeticorum abusus, quæ sanguinem versus praecordia invitando, phthisin pulmonalem conciliare possunt.

Animi pathemata. Nec non animi pathemata e), in primis tristitia, meatus, iracundia, circulum sanguinis turbando, versus præ-

*zur Erzeugung übler Säften und böser Geschwüren beytragen, wie viel dagegen geringere und mäßige Nahrung beide verbef fern sehn wir an öftern Beispielein in der Praxis. Sind nicht die Mastthiere häufigern Krankheiten unterworffen, als die übrigen? &c.*

d) Per abusum spirituorum fibras rigidas reddi, & lymphaticos humores coagulari, obstructiones itaque & inflammations produci, quis est, qui ignorat? v. DUPRÉS DE LISLE l. c. p. 114. Qui bellariis & sympostis nimis indulserint phthisi maximo corripi, monet BENNET l. c. p. III. Cl. TRALLES in libro, cui titulus: *Ustus opii salubr. & nox. Secd. IV.* p. 4. testatur, se plus semel ex abuso spirituorum Phthisin ortam vidisse. BUCHAN l. c. ita: „La pulmonie est plus generale en Angleterre, que par tout ailleurs par le trop grand usage des nourritures animales & des liqueurs fortes, & par l'inconstance des saisons.“ His contentit REINHARD Abhandl. von dem Lungenblutflusse. Glogau 1762. p. 19.

e) Conf. MORGAGN. Epist. 22. art. 18. HOFFMANN in Med. rat. sys. T. IV. p. 301. refert inter causas hæmoptysin & Phthisin producentes, temperamentum sanguineo-cholericum, quod facile movetur &c. & DES LONGROIS l. c. p. 13. inquit: „Rarement voit-on les enfans perir de la pulmonie; la douceur de leurs humeurs, l'espèce d'insensibilité morale dans laquelle ils

cordia sanguinem accumulando, robur partium solidarum dejiciendo; aliaque hujus censu plura, ad producendam phthisin pulmonalem haud parum conferunt.

### §. XVIII.

Etsi experientia docuit, omnem phthisin sanatu esse Prognosis difficillimam f) tamen plurimi Auctores, ex quibus HOFFMANN g) & RAULIN h) nominare sufficiat, multos phthisicos sanatos se vidisse, testantur, quin vel eis, qui labe hæreditaria laborabant, sanitatem suisse restitutam, duce eadem magistra, affirmant; licet Phthisis hæreditaria omnium sit pessima i). Sed ut in aliis, ita & in hoc morbo, circumstantiae diversæ diversam efficiunt prognosin. Lætior est illa, si morbus in corpus non prædispositum incidit, quam in illo, cui dispositio aderat. In illis, qui nondum sunt proiectioris ætatis, difficilior erit sanatio. Curatio incipientis morbi non absque difficultate est; difficilior est illa morbi in secundum stadium progressi; in tertio stadio autem nulla amplius spes recuperandæ sanitatis supereft. Vomica magna sive per se ad tantam molèm increvit, sive ex tuberculis pluribus suppurantibus, sibi satis vicinis & in unam quasi vomicam confluentibus orta sit, licet periculo non careat, plus tamen spei sanationis admittit, ac tubercula minoris molis, quæ dum successive suppurationem obire, rumpi

D 2

vivent, le silence des passions fortes tout cela concourt à l'éloigner d'eux &c.

f) HOFFMANN l. c. p. 305. seq. & DES LONGROIS vocat morbum nostrum „l'un des plus cruels fléaux de l'humanité, & presque toujours l'écueil de la Medecine“, in l. c. p. 12. Conf. CULEN l. c. §. 864.

g) l. c.

h) l. c.

i) v. SWIETEN Comment. Tom. IV. p. 80. Ed. cit.

& per sputa evacuari solent, lente pulmones depascunt. Phthisis itaque ex Peripneumonia lætiorem præ se fert prognosin, quam illa ex debilitate viscerum chylopoietorum. Si Phthisis nascitur ex hæmoptysi per causam externam excitata, levior est ac illa, quæ ex cacochyria humorum, cuius ope vasa fuere erola, ortum traxit. In Phthisi ex Vomica, si illa rumpitur, atque ægrotus in ipso ruptionis momento non suffocatur, curationis spes est, modo pus bonæ indolis facile eliminetur: ast si ruptio vomicæ eo in loco contigit, quo per sputa non potest evacuari, sed in thoracis cavitatem fese effundit, Emphyema oritur, cuius sanatio perdifficilis est, atque operationem chirurgicam postulat. Phthisis quæ aut luem venereum insequitur, aut labi hæreditariæ, aut scrophulosa debetur, est ut plurimum insanabilis. Quo plura ex numero symptomatum tertium morbi stadium indicantium (§. XIII.) obseruantur in ægroto, eo periculosius decumbit, & eo citius moritur.

### §. XIX.

*De Phthisis pulmonalis habetur a multis Practicis omnibus cura.* Phthisis pulmonalis habetur a multis Practicis omnibus cura. arte medica superior: forsitan quia morbus periculosissimus est, ob initium ejus mitifimum, diagnosinque in hocce stadio difficillimam; & quoniam plerumque morbi pessima indoles non prius declaratur, neque causæ ejus remotæ perspiciuntur, quam eo tempore, quo vix ullus ultra remediis conceditur locus. Sed & vulgo quoque morbus noster incurabilis creditur, sine dubio, quia per illum multos homines morti tradi, & medicamentum, ab hoc vel illo summe laudatum *k)*, non in quovis casu

---

*k)* Vix illum esse morbum, in quo tam varia remedia ac in phthisi celebrantur, testatur Cl. STOLL in *Rat. med. P. I.* p. 293.

opem tulisse animadvertisit. Sunt enim, & quidem non medicastri, sed Medicinæ Doctores, qui lac tanquam unicum atque optimum antiphthisicum medicamentum usque ad altra extollunt, & quibusvis phthisicis præscribunt <sup>l).</sup> Sunt, qui in cortice peruviano perfectæ sanationis spem collocant; alii de radice Polygalæ amaræ, de Lichene Islandico idem summa fiducia expectant; ab aliis Elixir vitrioli, Fungus salicis suaveolens <sup>m)</sup>, aqua calcis, aqua picea, aqua felterana, præstantissima contra Phthisin prædicantur medicamenta; ab aliis rursus suffimigia balsamica vel balsamicorum internus usus, spretis aliis medicamentis summopere laudantur. Sed, ut taceam de reliquis aliorum diversis fententias, quivis rationem atque experientiam consulens, mihi profecto assentietur, non posse semper unam perpetuamque medendi viam teneri, aut idem auxilii genus ubique locum invenire, sed pro diversis ejus causis remedia esse eligenda, varianda, inter se permiscenda, aut conjugenda.

### §. XX.

Medicus, cui ægrotorum salus curæ cordique est, in formanda indicatione curatoria morbi nostri, ad hæc-

D 3

<sup>l)</sup> BUCHOZ-Abhandl. v. der Schwindfucht aus d. Franzöf. 1770.  
p. II. 15. & 17.

<sup>m)</sup> Prodiit nuperrime elegans dissertatio de hocce Boleto auctore Dno Doctore ENSLIN Mannh. 1785. in qua ejus, in ulcerosa præfertim Phthiseos specie, efficacia extollitur. Vires ejus medicatae mihi sese non probarunt: at si que insunt, quod negare non audeo, certe non ex partibus ejus constitutivis sunt explicandæ; sed specificæ indolis; odor enim suaveolens in pulverisato Boleto non amplius animadvertisit; acidum, de quo Auctor verba fecit, ex omni substantia vegetabili, si analysi chemicæ subjicitur, obtinetur; & si mucilaginosa partes vires exferent, gummi aratum & tragacanthum eosdem debuissent præstare effectus.

ce quatuor semper debet esse attentus. Primo, ad speciem morbi; secundo, ad stadium ejus; tum ad causas ejusdem remotas; tandem ad symptomata morbi urgentiora: de quibus omnibus jam dispiendum est curatius.

Indicationes curae. In eo autem curationis purulenta species cardo verteretur, ut non solum ulcera in vulnera mutantur, vulnera etiam labia sibi approximentur; & per reunionem co-desumptae alescant, sed etiam ut humorum massa ab infectione purulenta defendatur. Quod ut ex voto succedat, caven-  
Cur. phthis. feos purulenta, ne pus diu in ulcere hæreat, id vero, quod jam resorptum, per emunctoria corporis consueta, eliminandum est. Sputa itaque expectorantibus sunt promovenda, ast non nimis irritantibus: Impediretur enim hoc modo formatio puris bonæ indolis, sine qua ulcus ad cicatricem perduci nequit. Ex eadem ratione anodyna n) ve-  
spertino tempore ægro sèpius sunt propinanda, ne no-  
ctu pulmones exulceratos tussis exasperet, & ut sequen-  
ti mane pus per noctem coctum, sine negotio exscreetur.

Nobis præprimis arrident infusa ex herbis attenuantibus, resolventibus, detergentibus, quæ sputa promovent, & simul vi sua urinam & sudorem movendi, id quod resorptum fuit pus e corpore eliminant. Ad ultimum hoc scopum faciunt quoque ulcera artificialia, ve-  
ficatoria, setacea atque fonticuli o). Quum vero obser-

n) V. BALLS neuere Heilkunst aus dem Engl. Leipz. 1778. p. 77.  
ubi hæcce verba leguntur: *Mohnsaft-Mittel sind zuweilen bey  
Geschwüren der Lungen von Nutzen, um den Husten zu mil-  
dern, und den geschworenen Theilen so viel Ruhe und Zeit  
zu verschaffen, daß die eytrigte Materie reif genug werden  
kann, und die nährenden Theilgen sich ansetzen können.*

o) V. OFFTERDINGER Anleit. für das Landvolk. Zürich 1782.  
p. 317.

vationibus didicerint Medici, naturam quandoque & desperatissimos morbos in corporis interioribus hospitantes, ulceribus in variis corporis exterioribus partibus subortis feliciter tollere, hocce naturæ conamen imitati sunt, atque tentarunt per ulcera arte excitata, intus pertinaciter hærentem, nobiliora viscera obsidentem & corroden tem materiem e corpore subducere, nec sinistro cum eventu. Talia enim medicamenta, externæ corporis superficie atque parti minus nobili adipicata, dum irritando agunt, tam solida, quam fluida commovent, humores ad illum, cui admoventur, locum majori in copia alliciunt, & ita sæpius pus evacuando atque derivando in Phthisi etiam consummata salutares edunt effectus p).

Neque sufficit a pure resorpto, per emunctoria corporis, quantocytus liberare humorum massam; sed necesse est, ut substantiæ antiseptica virtute præditæ admisceantur humoribus, ne labes purulenta his communiceatur. Tales sunt nutrientia e regno vegetabili q) atque medicamenta balsamica r). Et quidem ea vegetabilia pro nutrimento sunt eligenda, quæ a debilibus ventriculi viribus subigi, & in chylum bonæ indolis, qui cum sanguine mixtus liberrime pulmonum vasa permeare valeat,

p) Sed ne expeches usque in tertium morbi stadium. In hoc stadio nullius amplius sunt efficacie ulcera artificialia. Contra, mortem accelerant: sit enim quoque per illa dispendium virum.

q) Cl. MARX ita: *Gewiß das diätetische Fach giebt die meiften Mittel her, durch welche ein Geschwür ausgeheilet, die weitere Eyerung verhindert, und das abzehrende Fieber abgewendet werden kann.* V. ej. *Abhandlung v. d. Schwindlungenſucht.* Hannov. 1784. p. 15.

r) Observatio de Phthisi, ope balsami de copaiva & infusi herbæ millefolii curata, legitur apud cl. LENTIN in ej. Beobachtungen Goetting. 1774. p. 85. & balsamica aqua picea summis laudibus celebratur a BERCKELEY in ej. Nachr. vom Theerwasser 1747.

nec ullibi in iisdem stagnet, mutari possunt. Ex balsamicis autem ea sunt propinanda, quæ non nimis exæstuant: Myrrha <sup>s)</sup>, præcipue gum nasa ejus pars, atque balsamus peruvianus siccus, & qui de Tolu nominatur, præstantissima sunt. Extractum myrrhæ aquosum pilulari forma, vel sub illa elixirii, aut in pulvere cum floribus Arnicæ <sup>t)</sup>, persæpe vidi, bonis cum ægrotantium rebus, exhiberi; eundemque prosperum effectum plus semel observavi ab usu Syrupi balsamici. Infusa vulneraria, supra laudata, per pulchre hujus syrupi opere edulcorantur. Nam saccharo quoque ineft vis antiseptica <sup>u)</sup>. Ubi tandem pus bone notæ exscreatur, ipsiusque quantitas quotidie decrescit, & febris hectica evanescere incepit, de ulceribus consolidandis cogitandum est. Ideo pulmoni, quantum licet, quies est concilianda, anodynorum & balsamicorum usus continuandus, quibus & fumigationes ex cera & resina possunt addi <sup>v)</sup>. Ultimo pulmo-

<sup>s)</sup> BUCHOZ l. c. p. 38. dicit: myrrham esse præstantissimum pectorale, expectorationem inde promoveri, tonum deperditum ventriculi & pulmonum restaurari, putredini resistere, vim balsamicam atque depurantem habere. conf. quoque LOESECKE *Materia medica Ed. GMELIN Berol.* 1785. p. 356.

<sup>t)</sup> Floribus Arnicæ vim inesse antisepticam, videre est apud cl. COLLIN in ej. *Observat. circa morbos acutos & chronicos. P. V. Cap. II.*

<sup>u)</sup> AVICENNA in *Canon. med. libr. III. Cap. VI.* p. 777. jubet, faccharum rosatum omni die comedere, quantum potest, quamvis multum sit, ita etiam ut cum pane. Et DES LONG ROIS l. c. p. 205 refert curationem feminæ cuiusdam phthisicæ per largissimum facchari rosati usum præstitam. RIVERIUS in *Op. Cap. de Phthisi* quoque testatur, Pharmacopæum quendam phthisicum, qui ingentem facchari rosati quantitatatem fibi ipse parabat, & quod perpetuo comedebat, solo hoc remedio sanatum fuisse.

<sup>v)</sup> Aér, partibus balsamicis per fumigationes fœtus, inspirationis tem-

pulmonibus robur per equitationem, per curam lacteam  
cum aqua felterana, per corticem peruvianum est red-  
dendum.

### §. XXI.

In tuberculari Phthiseos pulmonalis specie debet tu- Cur. Phthi-  
berculorum inflammatio, eorundem suppuration, si eo seos tuber-  
tendunt, præpediri. Contra, resolutio tuberculorum culosæ.  
est tentanda; incrementum eorum impediendum, & ex-  
cretio eorundem est facilitanda. Præcavetur autem in-  
flammatio & suppuration tuberculorum crudorum per vi-  
etum vegetabilem, refrigerantem  $\alpha$ ), per modum in usu  
rerum sex, sic dictarum, non naturalium, & dum eo-  
rum resolutio neque per fortiora  $y$ ), neque per calidiora  
resolventia tentatur. Decoctum radicum Graminis; fru-  
ctus horaei maturi; succus Cucumerum  $\gamma$ ) & Melonum;  
fucci herbarum recentium; succus & rob Dauci  $a$ ); se-  
rum lactis, & aliae ejusdem saponaceæ naturæ res, debent  
in usum trahi, quibus etsi tubercula non resolvantur, eo-  
rum tamen incrementum præpeditur, & haud raro eo-  
rundem per sputa ejactio facilitatur, præsertim si balneis  
pulmonum vaporosis  $b$ ) eodem tempore utuntur ægri.

tempore in pulmones veniens, ad deterctionem ulcerum, ea-  
rumque fanationem, multum conferit, conf. RICH. MEAD. Mo-  
nita & Præc. med. Ed. Lipsiæ 1759. p. 29.

$\alpha$ ) Febrem enim hancce Phthiseos speciem comitantem inflamma-  
toriam continuam remittentem esse, recte monet REID in *Essay*  
*on the nature and cure of the phthisis pulmonalis* Lond. 1783.

$y$ ) HOME principia med. p. 144.

$z$ ) MUZEL prosperum effectum ex usu crudorum cucumerum ex-  
pertus est. Vid. ej. med. und chirur. *Wahrnehm. erste Samml.*  
*Caf. I.*

$a$ ) BICKER Materia medica, in der deutschen Uebersetzung p. 100.

$b$ ) MUZEL l. c. BALLS neuere Heilk. p. 85. BUCHOZ l. c.

Si tubercula autem jam in suppurationem abierunt, tunc balsamica predictis sunt copulanda, & aqua calcis cum lacte in usum trahenda. At si pituitosa species tuberculosa se se associat, tunc roborantibus simul cum solventibus contra morbum complicatum est militandum; balnea autem pulmonum vaporosa omittenda sunt.

## S. XXII.

Cur. Phthisis  
Phthisis  
pituitosa.

Phthisis pituitosam natura sua & decursu a praecedentibus speciebus differre, ex §. XIV patet; hinc & diversam quoque fibi vindicat curationem. In hac enim Phthisis pulmonalis specie haud raro roborantia c) sola curam absolvunt, eo nempe in casu, ubi pulmonum relaxatio primaria morbi causa, & morbus nondum inveteratus est; ast non fortioribus cura est inchoanda, ne excretio pituitae nimis velociter supprimatur, & exinde obstrukiones & tubercula oriuntur d). Sed praelertim in morbo inveterato, solventia sunt praemittenda & cum roborantibus miscenda; Kermes minerale; Extracta amara; flores salis ammoniaci martiales; & flores Arnicæ e) volo, ut fibrarum laxitas & inertia, simul ac humorum lensor atque visciditas corrigantur.

Quando autem irritamentum quoddam, ut metastasis, aliudve acre, pulmonum relaxationem produxit,

c) Interno roborantium usu additur perpulchre equitatio quotidiana, a SYDENHAMO maxime laudata, & externus frigidæ aquæ usus. Conf. TISSOT *Anteitung für das Landvolk Zürch* 1778. p. 126. & MARX *Abhandlung von der Schwindlungensucht*. Hanov. 1784. p. 98.

d) Conf. cl. TRALLS *de usu opii*. Sect. IV. §. 2.

e) COLLIN *flores arnicæ vires sive observ. P. IV.* Vienn. 1773. p. 207. atque in *Eph. N. C. anno IX & X. Dec. I. p. 22. & seq.* Ed. 1693. inveniuntur observationes de eximia flor. arnicæ virtute in phthisi pituitosa.

istud primum est removendum, & postea roborantibus utendum. Experientiam enim consulentes negare nequimus, hancce Phthiseos speciem quoque subinde complicatam, ut reliquos morbos, cum alia quadam labe inventiri; vel prægressa aliqua flacciditate pulmonum morbofa illuc interdum acre quoddam, arthriticæ, rheumaticæ vel venereæ naturæ, vel ex scabie retrogressa, ulceribus exsiccatis, hæmorrhoidibus vel menstruis suppressis f) deferriri. Quo etiam fit, ut in exulceratam abeat pituitosa Phthiseos species. Et si hoc vel hac ex causa accidit, vel si pituita temporis progressu sensim sensimque acredinem acquirens pulmones exulcerat, tunc indicationes, ab hisce duabus speciebus ad curam sunt petendæ, & medicamenta his respondentia erunt porrigenda.

Idem debet observari, si pituitosa cum tuberculosa specie conjuncta est. Ad pulmones enim phthisi tuberculari laborantes, hinc & continua tussi vexatos, alliciuntur haud raro magna in copia humores in universum, & præcipue relaxans mucus, per continuam eorundem validam agitationem, uberior lymphæ accessio inducitur, qua morbus morbo additur; pituitosa nempe Phthiseos species tuberculosa speciei.

In Phthiseos pituitosæ curatione, five sit sola, five cum alia phthiseos specie conjuncta, debent vitari vaporum tepidorum inspiratio, simul ac expectorantia, præsertim ea, quæ vi emolliente insigni sunt prædicta; quippe quæ pulmones adhuc magis laxarent, & hujus visceris tonum infringerent. Per potum tepidum magnam corporis debilitatem fibrarumque laxitatem induci, nemo est qui ignorat, hinc patet, cur infusa, quæ a talibus ægris

E 2

---

f) Nullus est in quem non vertatur morbus uteri suppressa vacua. tio. Ill. LORRY de præc. morb. mutat. p. 453.

assumuntur, debeant esse frigida. Vitanda sunt porro in diæta, quæ humorum visciditatem creant, vegetabilia farinacea, & præcipue solani esculenti tubera, caseus, lac, atque potuum spirituorum abusus.

### §. XXIII.

Indicatio- Medicum semper bonis sub auspiciis in primo mor-  
nes cura- bi stadio ægris curam facere, modo contra causas remo-  
toriae a sta- tas militet, fatebitur mecum quilibet in naturæ tramite  
dio morbi. premendo solertior. Nam hic est ubi valet illud: *subla-  
ta causa, tollitur effectus.* At si morbus jam in secundum  
progressus est stadium, tunc erit pernecessarium, ut,  
præter medicamenta contra morbi causam facientia, quo-  
que ingerantur talia, quæ stadium morbi postulat. Et  
quidem in purulenta phthiseos specie anodyna, antisepti-  
ca, expectorantia, revellentia atque balsamica ex ratio-  
nibus §. XX. allegatis, in usum sunt trahenda. In pi-  
tuitosa autem specie expectorantia, præsertim oleosa no-  
cumento potius quam levamini esse, vel ipsa natura mor-  
bi edocet: Pulmonum compagem & tracheæ ductus ex-  
cretorios, supra modo laxatos, magis quoque laxarent,  
atque hinc efficerent, ut jam præsens justo copiosior in  
iis muci secretio fieret adhuc abundantior. Anodyna ad  
tussim moderandam & ad somnum nimis turbatum resti-  
tuendum sunt necessaria. Jactura ista laticis nutritii, cu-  
jus §. XIV. mentionem fecimus, alimentis, quæ absque  
insigni coctionis molimine nutriunt, est resarcienda, quo-  
ad id potis. Sed hoc lacte non est tentandum. Debilita-  
tus enim ventriculi tonus repudiatur lac. Juscula ex granis  
Sagu, decoctum panis, decoctum radicis Salep, deco-  
ctum Limacum g), debent propinari. Præcipua autem

---

g) Vid. Clar. KÆMPF *Enchirid. med.* p. 50.

remedia in hoc morbo sunt cortex peruvianus & Cascarilæ h). Et si debilitas insignis officinæ chylopoieticæ simul adest, id quod in secundo stadio morbi semper ita observatur, tuum amararum radicum & herbarum cum cortice connubio opus est, quibus & martialia utiliter adiduntur. Hac methodo, præfertim si indicationibus a causis remotis petitis quoque satisfit, quod nunquam omitti debet, ægroti multi cum sanitatem in gratiam redeunt, recidivis tamen perquam obnoxii; hinc & quovis anno per aliquot septimanas debent roborantibus uti, & omne, quod tonum fibrarum potest dejicere sedulo vitare. Haud raro autem, Proh dolor! docta arte plus valet malum: Pereunt tunc suffocati tales ægri, quos prius ad sceleti imaginem emaciavit febris hectica, ex enormi pituitæ abundantia, quæ adeo replet pulmones, ut, præcluso exinde aëris ingressu, qui alias cellulas vesicularum pulmonium distendit, respiratio in totum supprimatur. Contingit autem quandoque, ut neque cum sanitatem redant in gratiam, neque abundantia pituitæ suffocantur ægri, sed ut, quemadmodum §. antec. dictum, ulcerosa species pulmonum Phthiseos addatur pituitosæ. Ad finem properare morbum significat hoc; tertium itaque adest stadium, de quo postea sumus dicturi. Idem accidit haud raro tuberculosæ speciei; tubercula nempe inflammationem atque suppurationem subeunt, additur sic purulenta species tuberculari. Diæta vegetabilis, antiphlogistica, venæfectiones sæpius repetitæ i) tunc temporis simul cum medicamentis & refrigerantibus, & contra tubercula atque eorum causam militantibus sunt præscribenda: Præfertim

E 3

h) V. cl. RAULIN *nouvelles observations sur la Phthisie pulmonaire* Paris 1784. p. 102.

i) Vid. §. XXI. nota x).

aquæ Calcis usus, inflammatione diminuta. Per aquam Calcis enim concretiones lapideas dissolvi & ulcera detergi nota est res. Idem valet de extracto cicutæ. Sed

Non est in medico semper relevetur ut æger. Morbus in tertium stadium, in stadium colliquationis, progrediatur, de cuius cura nunc agendum.

Phthisis pulmonalis ad tertiam periodum progressa, prout ejus curatio difficillima imo & impossibilis, hinc stadium hocce morbi incurabile a nobis dictum, palliativam solummodo admittit curam; itaque protrahere vitam, minuere molestias, pacata intervalla impertiri artis est, ut moribundus, nec ullo modo servandus æger, aliquod tamen auxilium & solatium accipiat, quod mortis acerbitatem leniendo tranquillitatem animæ adjuvet. Impetramus hunc scopum

I. Speciem febris putridæ, nunc præsentem, per resorptum pus productam, moderando, antisepticorum ope, præcipue per acidum vitriolicum.

II. Tussim leniendo anodynorum ope.

III. Diarrhoeam colliquativam per enemata & decocti Cascarillæ usum *k)* moderando. Hunc ad scopum injiciuntur enemata ex lacte vel ex decocto corticis peruviani, quibus opium additur *l).*

*k)* Cl. RAULIN *I. c.*

*l)* Ill. v. SWIETEN *Comm. ad H. Boerh. Aphorism.* §. 1213. laudat in consummata Phthisi ubi a pure resorpto totus sanguis corruptitur, & per vasa mesaraica elapsi humores putridam faciunt diarrhoeam, quæ & morbo & vitæ finem brevi imponere solet, clyisma tali modo paratum: „Drachma purissima terebinthina vi-tello ovi, per trituram in mortario vitro, miscetur intime; additur uncia semis Theriacæ Andromachi, dein haec diluuntur unicis quatuor lactis recentis & in anum injiciuntur: monendus est

IV. Quum de anxietate hoc in stadio conqueruntur ægri, propter sanguinis circuitum in extremitatibus arteriæ pulmonalis retardatum & impeditum, hinc etiam hac in morbi periodo victus glutinosus est vitandus, præsertim omne opus pistorium, ex farina & butyro confectionum. Exulare quoque debet lac & omnia inde parata. Pessime enim consulunt ægris illi Medici, qui illis hoc in stadio usum lactis, uti, persæpe, eheu! observavimus, suadent; lac, dico, cuius usum febris hectica vetat, & quod a CELSO <sup>m)</sup> jam inter res stomacho alienas fuit relatum, & quod facile intus corrumpitur, idem docente CELSO <sup>n)</sup> & experientia quotidiana. Etiamsi autem omnia hæcce, simul cum iis, quæ in secundo morbi stadio fuere laudata, sedulo observantur, tamen puris haud raro major quantitas in dies & exscreatur & in humorum massam reforbetur, quo materies nutritia cum adipe mixta tota in pus vertitur, & corpus, confectum marasmo, febri organorumque destructioni tandem succumbit.

#### S. XXIV.

In corporibus ad Phthisin pulmonalem prædispositis prophylacticam curam potius quam curativam locum invenire facile est intellectu. Oportet itaque illos sibi caverre ab omnibus caufis occasionalibus, quorum pulmones a quacunque causa debilitati, aut quibus suspicium labis hæreditariæ, aut habitus corporis mechanice vitatus est.

Indicationes curæ  
toriæ acau-  
tis remotis  
Cur. phthi-  
feos ex  
prædisposi-  
tione cor-  
poris.

æger, ut elysma injectum retineat diu, hac spe ut dolor & irritatio intestini recti topico anodyno remedio leniantur. <sup>»</sup>

<sup>m)</sup> De Medicina L. 2. Cap. XXV, Ed. Patavii 1750, p. 104.

<sup>n)</sup> L. c. Cap. XXVIII.

Phthisis hæreditaria rarissime ante decimum octavum annum fere manifestat, sed pubertatis tempore usque ad trigesimum sextum ætatis annum supervenire consuevit o). Curatur difficillime; hinc prophylaxis non est negligenda. Idem valet de Phthisi ex virtute structuræ. Labes autem hæreditaria est metuenda, si quis ex parentibus eodem morbo afflictus fuit natus, præsertim si morbus iisdem fuit lethalis. Structuram adesse vitiatam patefit ex siccitate & macie habituali, voce exili & levi de causa raucescente, cute alba & molli, scapulis alarum ad instar prominentibus, pectore angusto, collo longo, genis rubris, dentibus lacteo colore albescientibus.

Cura prophylactica eo strictius est observanda, quo crasis sanguinis acrior; & hoc in casu acrimonia humorum laete, ejusdemque sero, decocto Ulmi, decocto dulcamarae, aquis soteriis, aliisque demulcentibus corrugenda, atque per fomentationem aqua frigida pectus contra congestiones muniendum p), ut morbus noster præcaveatur. Si autem eventus spem atque operam fecellit, morbusque tamen oritur, tunc secundum indicationes a specie ejus petitas erit tractandus.

### §. XXV.

**Cur. phthi-** Indicationibus a debilitate viscerum chylopoietico-  
feos ex derum, sive hæc Phthisin accersivit, sive illi supervenit,  
bilitate vi-satisfacimus per Asam foetidam, radicem columbo, li-  
scerum chylopoie-gnum Quassia, extracta amara atque per martilia-  
ticorum.

### §. XXVI.

o) Cl. LORRY *de præc. morb. mutat.* Paris 1784. p. 226.

p) Cl. MARX *Abhandlung. von der Schwindlungensucht.* p. 84.  
p. 98. seq.

## §. XXVI.

Plethora autem, si per illam, accedente causa quādam occasionali, hæmoptoē & pedissequa ejus Phthisis ori-  
tur, postulat venæflectiones repetitas, victum vegetabilem, refrigerantem, & abstinentiam a violentis motibus tam corporis quam animi.

## §. XXVII.

Si transpiratio suppressa morbum nostrum aut pro-  
duxit, aut excretio hæcce cutanea, eo jam præsente, imminuta animadvertitur, omni studio ea est promoven-  
da. Promovetur autem dum pectus nudum pectorali la-  
neo tegitur, & per infusa diaphoretica, & per Kermes  
minerale, per frictiones cutis siccas, præcipue autem  
per balnea q).

q) Balnea quid valeant in curatione Phthiseos, si transpiratio non rite procedit, legi potest apud cl. MARCARD in ejus *med. Ver-  
suche II Th.* p. 98. ubi observationem cl. MONRO his verbis resert: *Ein junges Frauenzimmer befand sich seit einiger Zeit  
in einem dem Ansehen nach vollkommenen Schwindfütigen  
Zustand, sie hustete, warf eiterige Materie aus, zchrte ab,  
hatte beständiges Fieber, und ihr Puls war zwischen 120 bis  
130 Schlägen in einer Minute. Doctor Monro behandelte diese  
Person eine Zeitlang, wie man in dergleichen Umständen  
pflegt. Eine Klage der Kranken aber erregte seine Aufmerk-  
samkeit; nämlich sie beschwerte sich, daß ihre Haut über ih-  
ren ganzen Körper so trocken seye, wie Pergament. Er fand,  
daß es sich wirklich so verhielt, und machte daraus den na-  
türlichen Schlüß, daß ihre Ausdünstung nicht gehörig vor sich  
zehe, und es schien ihm nicht unmöglich, daß hierinnen we-  
nigstens eine Mitursache ihrer übrigen Beschwerden liegen  
könne. Er sann auf das beste Mittel, die Haut zu erwei-  
chen, und die Ausdüstung herzustellen, ohne die Kräfte des  
Körpers durch den verstärkten Umlauf des Bluts anzugreifen,*

F

## §. XXVIII.

**Cur. phthi-** At si vita sedentaria, aut valida atque continua ab-  
**seos ex ob-** dominis pressio morbo nostro dedit ansam, haecce vitæ  
**structioni-** bus visce- ratio est mutanda; contra, motus corporis sunt insti-  
**bis** abdo- tuendi, vel equo, vel rheda, vel ambulatione. De-  
minis. obstruentia simul in usum sunt vocanda, quibus cir-  
cuitus sanguinis in systemate venæ portarum promove-  
tur. Saponacea, gummata ferulacea, fel tauri inspissat-  
tum, plantæ amarae, & clysmata a cl. KÆMPF viscerala r)  
denominata, huc præprimis faciunt, quibus tandem ro-  
borantia sunt admiscenda.

## §. XXIX.

**Curatio** Si hæmorrhoidum suppressio s)<sup>o</sup> sua ad formandam  
**phthiseos** Phthisin contulit, hirudines repetitis vicibus ad anum  
**ex sup-** pressione fangi flu- sunt applicandæ. Adplicatio hirudinum ad vulvam in sup-  
**pressione** fangius- pressione mensium quoque bonum præstat effectum t). In  
**xus con-**fuenti. suppressis lochiis autem sal medium ex acido vitriolico at-  
fueti.

und hiezu fand er endlich den Qualm von warmen Wasser am allerschicklichsten. Die Folge bewies, daß er richtig geschlossen hatte, die Haut der Kranken erhielt ihre natürliche Geschmeidigkeit wieder, die Ausdünstung stellte sich her, das Fieber nahm ab, der Auswurf verlohr sich, und in eben dem Maße fanden sich die Kräften „.

t) Vid. ej. Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleib haben zu heilen. Dessaу 1784.

s) HIPPOCRATES Aph. 12. Sect. VI. ab hæmorrhoidibus sanato diuturnis, nisi una servata fuerit, periculum est, ne hydrops superveniat aut tabes.

t) Genitalibus mulierum magnam esse sympathiam cum pectori nota est res; hinc HIPPOCR. jam Aph. 50. Sect. V. mulieri menstrua si vis cohibere, cucurbitam quam maximam ad panumas appone.

que alcali vegetabili fixo, omnibus aliis medicamentis palmam præripit.

### §. XXX.

Phthisis rheumatico-arthritica est ea, quæ hos morbos excipit & tollit. Pituitosam initio esse observatur. Acris enim materies, quæ antea rheumaticos aut arthriticos excitavit dolores, stimulat nunc pulmonum glandulas ad abundantiorem muci secretionem. Haud raro tuberculosa inde producitur phthiseos species. In utroque casu ad diaphoretica u) & sanguinem depurantia, præmissa venæsectione est confugiendum, & revellendi scopo ulcus artificiale magnum in proximitate loci antea vexati est faciendum; ne pulmones, temporis tractu ab acri materia metastaticce huc delata exulcerentur. At sit hoc jam accidit, tunc balsamica simul cum prædictis medicamentis sunt propinanda.

Eadem methodo est militandum contra Phthises ortas ex alia acri materia, sive in sanguinis massâ præsentte v), sive per metastasis ad pulmones delata, uti post

*Cur. phthi-  
feos rheu-  
matico-  
arthriticæ*

*Cur. phthi-  
feos ex  
acrimonia  
fanguinis.*

F 2

u) Omnibus aliis præcellit hoc in casu extractum Aconiti & florum Arnicae infusum. Vid. COLLIN obf: circ. morb. ac. & chronic. P. V. p. 207.

v) Homines, quorum sanguis, & qui exinde fecernuntur reliqui humores, aciores sunt, cognoscuntur ex rheumatismo vel ophthalmia serosa, præfertim inclemi autumni tempestate eos vexante, aut ex ulceribus in cute serpentibus, cacoethesis, quibus si corpore non robusto gaudent, dispositio catarrhalis ad minimam occasionem reviviscens aut præcedit aut fere associat. Ex catarro autem veram Phthisin efflorescere posse, certo certius est. Unde perspicacissimus PRINGLE adeo de tuffi ex catarro contracto apud milites metuit, & inveteratam atque neglectam tussim pro initio phthiseos declaravit, inquit enim in *Diseases of the army* p. 169. *a recent cough from cold may be considered as the lo-*

febres exanthematicas, post variolas, morbillos, rubellas, aut cutaneas eruptiones chronicas, post scabiem, herpetem <sup>w)</sup>, observatur. Transpiratio insensibilis summo studio, diapnoicis <sup>x)</sup>, ast non calidioribus est promovenda, demulcentia larga in copia sunt ingerenda, ulcus arte est excitandum, & simul roborantibus utendum. Thermæ sulphureæ, sulphuris ipsius internus usus, decocta & infusa ex floribus Sambuci, corticibus ligni Saffafraes & Ulmi, herba Fumariae, Saponariae, rad. Bardanæ, Dulcamarae, similibusque sunt præscribenda; quibus, si morbus noster a morbo cutaneo chronicò retrogressò originem sumit, insitio ejusdem morbi debet addi.

### S. XXXI.

**Cur. phthi-** Phthisis venerea oritur post gonorrhœam viru-  
**feos vene-** tam inopportune repulsam, aut post ulcerula venerea  
**rex.** imperite tractata; aut incedit morbo syphilitico conjuncta. Litu mercuriali his in casibus opus est, aliisque antivenereis medicaminibus, atque in primo casu gono-  
rrœa nitro, decoctis diureticis, atque infistione est revo-  
canda.

**Cur. phthi-** Phthisis autem venerea debet probe distingui ab illa  
**feos ex ve-** ex venere. Nam in hac, ubi venus immodica sua ad  
**nere.** morbum contulit, continentia venereis in rebus jubenda,  
roborantibus & cibo euchymo vires sunt refocillandæ.

Succedit etiam quandoque morbus noster syphilidis infestationi, præcipue si cura ope mercurii corrosivi fuit in-

*west degree of a peripneumony, and an old neglected cough  
as the beginning of a consumption.*

w) Conf. cl. POUPART *Traité des dartres* p. 90. seq. Paris 1784.

x) Vid. §. XXVII. not. q.

stituta. Testem adduco DES LONGROIS, qui usum mercurii sublimati ad debellandam syphilidem inter causas morbi nostri remotas refert; inquiens y): „*l'usage du sublimé corrosif, soit qu'on l'étende dans de fortes decoctions de plantes, soit qu'on le masque avec des électuaires, artifices trop communs & malheureusement trop favorisés par la possibilité où l'on est quelquefois de guérir les maladies vénériennes, avec une petite quantité de ce poison subtil -- mais helas! & tous les bons Praticiens en gemissent, c'est toujours au detriment de la poitrine.*„ Lacticinia & roborantia, cortex præprimis, hoc in casu, sunt prescribenda, quæ quidem plerumque votis non respondent.

### §. XXXII.

Phthisis scrophulosa est fere semper sicca, & cognoscitur ex signis scrophulæ antecedentis. Glandulæ enim lymphaticæ affectæ constituunt catenam, quæ ex auribus, ad collum, thymum, in pectus, & inde in abdomen descendit z). Ejus curatio exigit incidentia, resolventia, præmissis & repetitis phlebotomiis. Equitatio quotidiana a), aqua marina, a multis & non sine ratione laudata b), antimonium crudum c) in tenuissimum pollen redactum; extractum cicutæ, æthiops mineralis d) & de-

F 3

*Cur. phthi-  
feos scro-  
phulosa.*

y) l. c. p. 44. conf. etiam p. 54. ejusdem libri.

z) SAUVAGES *Nos. meth. Tom. II.* p. 450 Edit. Amstel. 1768. & V. SWIETEN *Comm. Tom. I.* §. 499.

a) A cl. SYDENHAM tanquam palmarium hujus morbi præsidium celebratum in ej. Op. P. I. p. 528. Ed. Genevæ 1769.

b) Vid. RUSSEL *de tâbe glandulari, sive de usu aquæ frigidæ in morbis glandularum.* Londini 1750. & CULLEN *l. c.* §. 874.

c) Vid. TARGIONI *Raccolta di opuscoli medico-prattici. V. III.* p. 188. seq. ubi antimonium cum extracto cicutæ contra obstruções glandularum quam maxime laudatur.

d) Vid. TARGIONI *l. c. Vol. IV.* p. 248. seq. & 347-352.

coctum radicum ononidis e) optima huc facientia sunt medicamenta. Si in purulentam jam abiit morbus Phthisin; tunc medicamenta ab hac specie indicata cum modo laudatis sunt miscenda.

### §. XXXIII.

**Cur.phthi-** Morbus noster sequitur s<sup>e</sup>pe peripneumoniam in-  
feos post flammatoriam, s<sup>e</sup>pius adhuc biliosam. Hoc in casu de-  
**peripne-**betur morbus aut fordibus gastricis f) aut debilitati pul-  
**moniam.** monum, vel præexistenti vel ex prægresso morbo ortæ;  
hinc per lenia cathartica & emetica, subjunctionis roboran-  
tibus, ford. s abdominales sunt evacuandæ; & si debilitas  
unica & sola causa existit, uti §. XXII. dictum fuit, pro-  
cedendum.

Si vero in morbi pulmonum inflammatorii decursu, pulmones fuerint per labem hæreditariam prædispositi, si-  
ve sufficietes venæctiones non fuerint institutæ g); si-  
ve acribus expectorantibus nimis institerit Medicus, ori-  
tur quandoque morbi nostri pituitosa species, præmissa

e) In cl. RICHTERS Chirurgisch. Bibl. VIII Bandes I St. Goetting. 1785. laudatur decoctum radicum Ononidis a Dno MEYER Medico Hamburgensi, his verbis: *Eine Frauensperson, welche einen trockenen Husten hatte, und engbrüfig war, und bey der ich mit großer Wahrscheinlichkeit tubercula pulmonum vermutete, bediente sich dieses Mittels, und wurde in einem Vierteljahr von allen diesen Zufällen befreyet &c.* Idem Dr. MEYER laudavit etiam decoctum herbae Farfaræ in cl. BALDINGERS neuem Magazin für Aerzte II St. 1785. & FULLERUS in Med. gymnastica p. 92. seq. jam testatur: *quod sit aliquid in decocto foliorum Tussilaginis ad Phthisin scrophularem curandam; etiam in agris maxime deploratis, & fere desperatis,* V. ALLEN Synopf. univ. med. praæst. Ed. 1749. p. 194.

f) Conf. cl. STOILL rat-med. P. II. p. 98.

g) Cl. KLEIN Interpr. clinic. Ed. HALL. 1771. p. 232.

venæsectione, per lenia cathartica ex Manna, Cassia, floribus Persicorum, subjunctis cortice peruviano, radice Polygalæ amaræ <sup>h)</sup> & Lichene islandico <sup>i)</sup> curanda. Haud raro autem observatur pulmonum neglecta inflammatio in suppurationem abire; oritur sic Phthisis ex vomica. Hanc adesse patet ex præsentia febris quasi recidiva post peripneumoniam, cum dyspnoea seu oppressione pectoris, tussi, difficultate decumbendi in quodvis latus; obscuro in interiore pectoris dolore, crescente cum in alterum latus, vomica oppositum, jacet æger; febre hectica & macie; demum quod post violentum tussis paroxysmum, vel post alium fortiorem corporis nisum, confessim multum pus exspuatur, vomica nempe si eo in loco fuit rupta, ex quo in asperam arteriam potuit venire pus. At si in cavitatem pectoris sese evacuat vomica, additur novus morbus priori, Empyema nempe, operationem chirurgicam postulans. Indicationes phthiseos ex vomica sunt eadem de quibus §. XX. egimus.

#### §. XXXIV.

Acria heterogenea simul cum aëre inspirata postulant demulcentia, præsertim balnea pulmonum vaporesa <sup>k)</sup>; quæ in usum quoque ducenda, si pulverulenta inspirationis tempore in pulmones pervenerunt, atque tubercula crearunt. Ultimo in casu convenienti quoque olea unguinosa <sup>l)</sup> cum faccharo linctus sub forma propinata, & decocta ex radicibus attenuantibus atque resolventibus.

Cur phthiseos ex inspiratis acribus, aliis he-

<sup>h)</sup> De rad. Polygalæ usu in Cura Phthiseos. V. COLLIN Obs. P. II. Cap. III. & cl. STOLL I. c. P. I. p. 209.

<sup>i)</sup> STOLL I. c. P. III. p. 84.

<sup>k)</sup> Cl. KÆMPF Enchir. med. p. 48.

<sup>l)</sup> KÆMPF I. c.

## §. XXXV.

**Cur.phthi-** Phthisis a febre intermitente neglecta curatur largo  
**feos a fe-** corticis peruviani usu, præmissis lenioribus evacuanti-  
**bre inter-** bus ex Rheo, Magnesia, Cassia, quibus flores salis Am-  
**mittente.** moniaci martiales per pulchre adjunguntur.

## §. XXXVI.

**Cur.phthi-** In Phthisi ex animi affectibus ingratis, & præsertim  
**feos hypo-** in illa, quæ incertiores inveteratos subsequi solet & qui-  
**chondria-** busdam hypochondriaca audit, peccant humores spissi-  
**ce.** tudine, pectus atque pulmones constringuntur spasmodi-  
 ce; oriuntur sic stases, tubercula &c. Ulium deobstruen-  
 tium §. XXVIII, aquarum martialium, & antispasmo-  
 dicorum requirit hæc Phthisis; præsertim autem affe-  
 tus lætitiae sunt excitandi: opus enim est animo valere,  
 ut corpore possis.

## §. XXXVII.

**Cur.phthi-** Phthisis scorbutica dignoscitur ex sudoribus copiosis,  
**feos scor-** lassitudine insolita, ubere mictione, salivæ exscrezione  
**buticae.** assidua, tussi humida & frequenti, hæmoptysi sèpius re-  
 currente & halitu foetenti. Jam in primo morbi stadio  
 observantur modo enumerata symptomata, quibus erosio  
 gingivarum, aphthæ, & eruptio exanthematica instar  
 herpetis, atque in sexu sequiori fluxus menstruorum im-  
 modicus ocyus seriusve superveniunt. Hac in phthiseos  
 specie cum opio caute mercandum, quippe quod sangu-  
 nem dissolvit, sudores promovet, atque cutis efflorescen-  
 tias adauget. Nec lacticingia juvant propter dejectum ven-  
 triculi tonum. Succi herbarum recentium, ex antiscor-  
 buticorum classe, vel conservæ ex iisdem herbis, nec non  
 syrupi, quos antiscorbutica ingrediuntur; infusum stro-  
 bilorum

bilorum Pini & infusum Malthi m) curæ præcipuam partem absolvunt.

§. XXXVIII.

Indicationes hæcæ curatorias a causis remotis debent semper, & in quoconque morbi stadio observari, iisdemque respondentia præscribi medicamina; præsertim autem in primo morbi stadio, & in pituitosa, & in tuberculosa Phthiseos specie. Nam si morbus in secundam aut tertiam periodum, vel in purulentam speciem est progressus, contraindicantur sœpe a præsentibus symptomatibus optima a causis remotioribus indicata medicamina: e. gr. quid lacte melius ad crasim sanguinis pravam demulcendam? vetatur autem ejusdem usus ab impuritatibus primarum viarum; a febre fortiori; a dejecto ventriculi atque intestinorum tono, & ab inde ex parte orta diarrhoea. Sequitur itaque prodromis iam ipsis esse obserendum, omnique, qua fieri possit, cura morbo in abdominis cursum persequenti occurrentum, antequam infirmitatem, quæ pulmones tenet, pedissequæ sequantur mala humorum crasis aliave symptomata, quæ morbum complicatiorem, medelam difficiliorem reddant, medendique methodum magis compositam requirant.

Hæc præsertim dicta sunt de Phthisi ex hæmoptysi, quæ omnium est frequentissima. Ut præcaveatur neccesse est inquirere, an propter pulmonalium vasorum laxitatem, an propter sanguinis acrimoniam aut dissolutionem, an vero ex causa quadam externa violenter agente fuerit suscitata hæmoptysis. His bene perspectis medicamenta congrua sunt adhibenda, ne hæmoptoë revertatur: habitualem enim Phthisis subsequitur, quod neminem latet. Hæc

m) De excellenti hujus remedii virtute & efficacia legi merentur cl. MACBRIDE *Versuche aus dem englischen von Dr. Rahn übersetzt* 1768. p. 207. seq. & COLLIN l. c. P. IV. Cap. V.

phthisis autem est semper purulenta, & poscit medicamina §. XX. indicata, quibus & sanguinis missiones parvæ, sed saepius repetitæ, sunt conjugendæ.

### S. XXXIX.

**Curatio phthiseos ex contagio.** Phthisis tandem ex contagio præcavetur, dum com-  
moratio in atmosphæra, putridis exhalationibus phthisi-  
corum foeta evitatur, eorumque vestes sudore conspur-  
catæ non induuntur, neque quis in eodem lecto cum iis-  
dem decumbit, ne miasma simul cum aëre in pulmones  
inspirationis tempore perveniat, aut per poros resorbea-  
tur. At si effectum suum deleterium jam exseruit mias-  
ma, tunc morbus uti ulcerosa species (§. XX.) ad quam  
pertinet, tractandus.

### S. XL.

**Indicatio- nes curato- riæ a sym- ptomatice bus urgen- tioribus.** Symptomata urgencia, quorum in formanda indica-  
tionis curatoria quoque ratio habenda est, hæc sunt: Tuf-  
fis & febris augmentum; Hæmoptoë superveniens aut re-  
currans; Sputorum suppressio; Diarrhoea atque in sequo-  
ri sexu menstruorum emansio.

Fluxus menstruus nequaquam calidioribus emmenago-  
gis, sed aperientibus antiphlogisticis, & hirudinum ad-  
plicatione ad anum vel ad vulvam, est revocandus.

### S. XLI.

**Diarrhoeæ colliquati- vae cura.** Diarrhoeam vel a colluvie humorum pravorum in  
primis viis vel a difficiili aut suppressa expectoratione <sup>n)</sup> ,  
vel ab acrimonia puris, vel a dejecto partium solidarum,  
præsertim intestinorum, tono, oriri augmentumque ca-  
pere experientia docet. Ultimo in casu, serum lactis

<sup>n)</sup> GALENUS *de locis affectis Libr. XVII. Cap. IV.* ad finem iam  
adnotavit, pus pulmonum per anum expurgari. Est hæc ista  
diarrhoea colliquativa phthisicorum, qua scena malorum plerum-  
que claudi solet, & qua ingruente homo tandem lampadis iastas  
eleo orbæ extinguitur.

aluminosum, acidum vitriolicum, decoctum radicum Arnicæ<sup>o)</sup>; sunt præscribenda. Diarrhœa autem propter acrimoniam puris, decocto radicis Salep, enematibus ex decocto Chinæ cum lacte & opio, moderanda.

Nihil magis in morbo nostro accelerat mortem, Cura sputi quam materiæ expectorandæ suppressione; Hoc autem eo torum sup. facilius accedit, quo vires ob ægrotationis diuturnitatem pressionis infirmiores sunt: Medicamenta huc parum valet; ast suppressioni sputorum ex alia causa occurritur per infusa diluentia, larga quantitate pota, per situm horizontalem, quem æger tenere debet, & quidem lateri incumbens. Examinandum quoque venit, an inflammatio, an tenacitas puris sputorum suppressioni ansam dederit, & medicamenta his causis respondentia in usum sunt trahenda.

Saburra autem, si quæ adest, per emetica & laxantia rhabarbarina est evacuanda.

### §. XLII.

Phthisin pulmonalem non semper effectum & pedis sequami, contra perfæpe causam hæmoptyeos esse, ne-  
mo inficias ibit. Hæmoptoe autem Phthisi pituitosæ su-  
perveniens, nequaquam solis roborantibus est tractanda; tis.  
haud raro emetica his sunt præmittenda, ut fordes in primis viis stabulantes, eliminantur: in debilibus enim crudorum excrementorum proventus maximus.

Hæmoptysis, si per epigenesin tuberculosæ speciei addatur, producitur vel per inflammationem tuberculorum, vel per gastricas fordes, spasmos excitantes; vel per acria tuberculorum contenta, spasmodice pulmones vexantia. Contra inflammationem pugnatur sanguinis

G 2

<sup>o)</sup> Diarrhœam colliquantem in 17 ægris consummata Phthisi pulmonali affectis, usu radicum Arnicæ se fedavisse, testatur COLLIN in obf. P. V. p. 263. imo duos ex his curavisse, quorum unus præter Arnicam & demulcentia nullis aliis indiguit remedii.

missione, vietu & medicamentis antiphlogisticis; contra faburrae irritationem emeticis, atque contra acrimoniam specificis & involventibus, atque incrassantibus.

At si quis Phthisi ulcerosa laborans sanguinem spuit, accidit hoc iterum, vel a causa inflammatoria, vel a causa gastrica, de quibus modo fuit dictum; vel ab erosione cujusdam vasis per pus acre: adstringentia hic sola in usum sunt vocanda, quibus etiam opus, si haemoptysis a dissoluto sanguine; sive a sanguine scorbutico, sive a febre putrida colliquativa, fuerit orta. Medicamenta autem præcipua ex illis sunt: aqua frigida, vitriolum martis, serum lactis alumino-sum, alumen ipsum, acidum vitriolicum, cortex peruvianus & radix arnicæ.

Ex dictis patet haemoptysios morbo nostro supervenientis causam esse vel universalem, vel localem. Localis pendet, vel a debilitate vasorum pulmonalium, vel a sanguine nimis dissoluto, vel ab erosione vasis cujusdam, de quibus jam egimus. Universalis autem causa est vel spastica vel febrilis. Spastica ex anxietatibus, celeritate pulsus, alvo ficiore, dignoscenda postulat usum opii; causa autem febrilis, si inflammatoria indolis, venæsecctionem, dietam atque medicamina antiphlogistica; at si gastrica est indolis, emetica bonis auspiciis præscribuntur p).

In quolibet casu, si phthisici sanguinem spuant, hæc sunt observanda: compressiones ex ligaturis ortæ sunt solvendæ; situs perpendicularis, quoad id potis, est tenendus q); omnia exæstuantia sunt vitanda; in aëre frigidiori est versandum r); motus pulmonum fortiores, risus, sternutatio imo & loqua sunt vitanda s); clysmatum & pediluviorum

p) TRNKA DE KRZOWITZ hist. febr. hedz. p. 192.

q) CELSUS l. IV. Cap. V. p. mihi 205.

r) CELSUS l. c.

s) CELSUS l. c.

tepidorum ope sanguis ad extremitates inferiores est ducendus, atque astringentia in usum sunt vocanda, præprimis aqua frigida, parvis sed repetitis vicibus, & magna in copia hausta, atque fomenti instar pectori impo-  
sta, vitriolum martis; aqua Rabellii. Ultimum hoc medicamentum omnibus aliis præripit palmam, si tringita usque ad sexaginta guttae omni hora cum cyatho aquæ frigidæ deglutiuntur, docente sic experientia & Du-  
PRES DE LISLE, qui de hoc remedio t) ita: *Je puis assurer, que c'est le remede le plus sûr, qu'on puisse employer, & qui m'a tou-  
jours réussi dans les hémoptisies les plus effrayantes.*

Hæc sedulo observando in causam remotam inquirendum, & me-  
dicamenta illi respondentia præscribenda sunt, e. gr. si hæmorrhoidum  
vel menstruorum suppressio anfam hæmoptysi dedit, hirudines vulvæ  
aut ano sunt adplicandæ, vel cuburbitula inquinibus admovendæ. u)

#### §. XLIII.

Ad febrem augendam contribuunt vel sputa suppressa; vel puris pu- Cura au-  
trida & corrodens indoles; vel causa inflammatoria aut gastrica; haud raro gmenti fe-  
quoque epidemica febris, si qua tunc temporis datur, hecticæ sese associans. bris.

Sputorum suppressio est tractanda uti §. XLI. fuit dictum. Collu-  
vies humorum pravorum emeticum postulat, FR. HOFFMANN enim  
optime: *quando ex prava digestione & inde enatis crudis ac lentis  
primarum viarum succis post morbos febris hec tica succrescit, prima  
regio a sordibus, febris tonite, est liberanda leni emetico &c. v).*

Quum autem pus ad latera ulcerum novam saepè inflammationem  
accendit, & pulsum antea depresso & mollem attollit, durumque  
redit, & veram febrem acutam suscitat, hinc sanguinis missione,  
temperantibusque congruis hæc est compescenda. At si pus resorptum  
humores labo sua infecit, eosque colligfecit, & speciem quandam  
putridæ febris produxit, antisceptica, precipue acida mineralia, & ra-  
dix Arnica cum balsamicis sunt præscribenda. Febris autem epidemi-  
ca, si supervenit, secundum genium suum tractanda.

#### §. XLIV.

Tussis augetur, I° per *Saburram*, in primis viis stabulantem; Tussis cu-  
evacuantia, emetica postulantem; vel II° ob *inflammationem*, extra.  
ipfa tussis siccitate, ex dolore pectoris & fortiori pulsu dignoscenda:  
venæsectione, diæta vegetabilis, diluentibus & antiphlogisticis medica-  
mentis hæc causa est debellanda; denique III° per *acrimoniam* pu-

t) L. c. p. 305.

u) CELSUS Lib. IV. Cap. IV. pag. mihi 204.

v) Med. rat. Syßt. Tom. IV. P. IV. Cap. XI.

ris. Antisepticis & incraffantibus, Gummi arabico & tragacanthæ; decocto ex Salep, ex radicibus Altheæ, ex lichene islandico, obviam itur huic acrimoniam. Tussis augetur tandem IV° propter tenacitatem puris; cui sero lactis, infusis diluentibus tepide & larga in copia potis, simul ac balneis pulmonum vaporolis medemur.

Si indicationibus hisce respondentia medicamina fuere propinata, tussis ferocia autem non mitigata fuerit, ad Opium tanquam ad sacram anchoram est confugiendum w).

### §. XLV.

#### Conclusio.

Quantitatem qua una vice propinanda sint medicamenta, & tempus quoque eorum usus continuandus, consulto non determinavimus. Est enim definitio mensuræ, seu quantum remedii morbo opportuti adhibendum sit, ex iis in medicina, quæ ut ait GALENUS xc), in universum nec dici possunt nec scribi, sed in singulis casibus ab artifice exploranda sunt. Id unicum hic monebo: ne medicamenta a me laudata, declarentur inertia, si plus justo minori copia ægrotis exhibentur! Nam me non latet, haud raro a Practicis, ad obstrunctiones pertinacissimas referendas saponem, extractum cicuta, sulphur Antimonii auratum ultimæ præcipitationis, Æthiopem mineralēm, terram foliatam tartari, & quidem quodvis horum singulatim, ad aliquod grana per diem, præscribi. Sed incassum, uti unicuique rerum gnaro patebit, hisce debilibus armis infertur bellum hosti gravi fortique.

Empirica, quæ in phthisi pulmonali celebrantur, medicamenta attingere, vetant dissertationis limites, qui vela hic contrahere jubar, & dictis imponere

### F I N E M.

w) In BALLS neuerer Heilkunst p. 62. optime ita: *Mohnsaft allein, oder vielmehr mit einigen andern Brüßarzneyen vermischt, wird zuweilen erforderet, die Gewalt des Hustens zu vermindern, weil er die dünnen, scharfen und beißenden Säfte verdickt, die aus einigen Drüsen gepreßt werden, und welche geneigt sind die nervigste Haut der Luftröhre zu öfttern Zusammenziehungen zu reizen, und daher den Schlaf verjagen, und die krampfhaften Bewegungen verschlimmern. Dann aber müssen diese Mittel nicht länger fortgesetzt werden, als es die Nothwendigkeit erfordert, damit sie nicht die Entzündungen und Verstopfungen vermehren „.*

ss) In Methodo therapeutica. Libr. III. Cap. III.

Strassburg, Med. Diss., 16 Miltbau-  
Mustinger  
X 2478692



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

# PHTHISI PULMONALI

Q U A M

C O N S E N S U

G R A T I O S Æ F A C U L T A T I S M E D I C Æ

N A L M A A R G E N T O R A T E N S I U M U N I V E R S I T A T E

## P R O L I C E N T I A

S U M M O S <sup>W I T H M O R E</sup> I N M E D I C I N A H O N O R E S

E T

P R I V I L E G I A D O C T O R A L I A

L E G I T I M E O B T I N E N D I

D I E X X V I I . O C T O B R I S M D C C L X X X V .

S O L E N N I T E R D E F E N D E T

A R O L . R U D O L P H . M Ø E L L E N T H I E L

M E I S E N H E M I O - B I P O N T .

H . L . Q . C .

A R G E N T O R A T I

T Y P I S J O H A N N I S H E N R I C I H E I T Z , U N I V . T Y P O G R .